CENSVRA

ad Panegyricum,

in laudem

SERENISSIMI PRINCIPIS

GVSTAVI ADOLFI,

&c.

A Daniele Krusio
aliàs

Elia de Nukrois

Ad scriptum hoc pertinent quatuor alia quæ reperiuntur in Collectan. Polono-Russ. Tom. V. n. 32. 33. 34. 35.

AVGVSTÆ TRINOBANTVM

euulgatum.

M. DC. XXVIII.

Lectori.

E XIII. 66

PAnicos istos *gyros*, quos nunc *Panegyricos* vocant, incerto æstu, & aliquando astu per æqua, iniqua, plana, obscura, vera falsaq; nuper factos, vanum fortasse erit persequi: retrahere sanè, aut sanare insanum. Itaq; nullus à me expectet, vt facta infecta dicam, aut acta & transacta refellam: ignoscetur etiam, si non omnia excusare potui: nolui certè exprobrare: quod nunc nescio cui licuit. Sin alicui aliquid in os, vel in aurem dixero, nemo putet Panegyricum esse: licet tamen mihi quod illi, ex animi mei sententia, aut tui, non semper loqui. Calumnias tantùm, & conuicia contra innocentiam & virtutem, non magis bonæ mentis erit perferre, quàm fuit proferre. His malitiam, vel acerbitatem adimere si velim, credo me contra humanitatem non peccaturum. Vale.

Senatui Populoq; Gedanensi, salutem & felicitatem, Auctor.

Gregorius Borastus.

NEmo patriam amauit, & insectatus est. Asininum aut Spurium genus esse aiunt, quod matrem calcibus petat: & non inter maiores bestias, quæ parentem rodat, vt vi perire cogat, tanquam Viperæ cognomen & vocis sæuitiam in matre mereri voluisset. Hic Alumnus, & Ciuis vester, etsi illic genitus non sit, vbi *Asinus & Equa Mulum generant*, ita tamen calcibus lusit, ac si ita genitus esset. Patriâ enim excedens, postremis veluti vestigijs matrem petijt, quasi vbi calcare non posset, calcitraret tamen. Hoc Asininum quibusdam visum est, quod Muliones Tulliano, aut suo verbo Mulionium vocassent: ego neutrum; cum hic præ alijs omnibus tã sit ----*acuto capite, & auribus longis*, vt nulli audita, à longè audierit, nulli visa viderit tamen, adeò vt iam plusquam simplicis acuminis hæc sagacitas quibusdam visa sit. Nã quòd *anseres Grebinenses* vidit & oggannijt, hoc quidem Vulpinum fuit.

Vulpinetur modo, concurset, qualibet erret,

errabit profecto, etiam cùm se deprehendisse putabit, quod Vobis, Vestræq; vrbi, honoriuè, fraudi sit. Quia præterea *Leporem* alicubi visus est videre, eumq; *galeatum*, ideò tanquam Molossus dormiens per somnium allatrauit, non aggressurus, si vigilasset. Hoc enim solùm è Daniele refert, vt sicut is somniorum intelligentiam habuit, ita hic somnia habeat. Quia verò nunc demum

Post secundam. iam in Prussia exactam ætatem tibi gratulari exorsum.

post *secundam primum ætatem* è specu, tãquam è *lacu leonum* in lucem & claritudinem prodit, non mirum est, si aliquid leoninum retinuit, nisi illud penè in caninum desineret. Arrodit enim, quicquid perrodere non potest: si non & hoc musculi magis, quàm Molossi essent, præsertim cùm

Spacioſiſſima valuer longas ames, neſcio cui modo delineaſſant.

murorum aut *vallorum* quorundam *spacia* Mathematico dente subrodit, & subridet ----*ridiculas mus*: nec id tamen frustra fortasse, nisi in *Montes* incidisse putaretur. Acriùs in matrem, & natalem vrbem dente surrexit, infligturus, si vipera esse potuisset, exitium; quod tamen nec hosti, aut dolo, vel insidijs, neq; etiam toti bello, terrâ, mariq; sæpiùs irruenti, in Vos licuit. Nihilominus ille, quod inter homines pulcherrimum, quod vita, quod anima subditorum erga Dominum est, *fidelitatem* inquam, Vestram, sic appetijt, vt non oppetijsse ægrè ferret, cum nihil ex ea nisi *deliberationem* & ambiguitatem reliquum fecerit, iratus calamo, quòd proditionem vel defectionem scribere non potuerit, aut quod in aliâ aliquâ scripsit. Sed Vestra, *VIRI GEDANENSES*, fides, vestrum decus securum est, etiam vbi res vestræ securæ non sunt, etiam vbi salus vestra periclitatur: nam negotiatio, commoda, facultates iam pridem. Magno quidem vobis hæc constat gloriâ, sed tantò illustrior: quæ vt quamprimùm læta, diu fortunata, ac tandem sempiterna sit, precor, voueoque.

CEN-

In Panegyricum.

Difficile est magnarum laudationum fiduciæ, etiam in magnis Principibus vera laudare, nisi in bonos incidant. Laudatus est olim Iulianus, etiam postquam Religionem Christianam proiecerat; & nuper laudatores habuit: nihil inter Imperatores magis impium: nec satis idem erga Imperatorem, & beneficia gratus. Laudari olim voluit, aut defendi Antoninus Caracalla, cùm fratrem occidisset. Et habuisset patronum scelus, nisi Papinianus illi seculo contigisset, qui iuris, quàm necessitatis obseruantior, parricidium tueri non potuit, mori potuit. Postea plures Caracallas, quàm Papinianos repertos esse, mirum non est, cum hodie ad Adriam Papinianus ob tam fortem & innocentem constantiam ambiguè audiat. Nunc licet rarò Principes existant, qui fratribus vitam, extitisse tamen, qui fratrum filijs aut patruelibus, fraterno certè sanguini Regna eripiant, recentium exemplorum documenta magna ostendunt, & alicubi laudantur, sed apud similes. Qui nuper Gustauum laudauit, etsi laudare noluit, tamen aliud agendo, varios animorum motus concitauit. Nam, cum multi sint, qui nunquam —*Troiæ sub mœnibus altis*, aut in tam magnis bellis fuerint, euenit facilè, vt quæ is de bellicis rebus scriberet, non intellexerint: aliás verò hominum necessitates, cum fato, aut debilitate, vel aliena fraude luctantes, aut ne hucusq; quidem suspectas, continuò malefidas, hostiles, & quales

ipse appellabat, esse putauerint. Planè, nisi intra muros natus fuisset, dignam libertate sua fiduciam, & industriam diceres, quæ postquam potuit plusquam

Os populi meruisse----

insolitâ ingenuitate Regna, Principes, Proceres, Ciuitates, & si quid præterea sibi illudendum non putauit, ingenij sui, alieniq; lusum fecit. Atq; vt Comœdi, varias interdum personas agunt, nullam verè, ita verendum est, nè hic postquam libuit

-----alienum sumere vultum

& nomen, nullam seriò egerit, etiam dum virtutes, dum peccata, dum victorias, dum fugas, dum fidem, dum rebelliones summis, infimis, dubijs, sinceris imponit, nec semper imponit, perq; rerum humanarum fastigia, aut ludibria vadens,

----rapit hinc & inde palmam,

& aliquando spinam cum aculeo toto, quem faciliùs ille omnibus infiget, quàm alij omnes eximent. Quò nunc liberiùs alienæ fruitur dubitationis tumultu, quem ipse fecit, vel aliquando repperit, postquam deprehensus est, nec eos laudare, quos colit & adorat, nec eos non laudare, quos odit, vel irrisui obiicit. Neq; ideò semper deprehendi voluit, nec tamen seriò egit, ne deprehẽderetur. Æquali enim mutabilitatis artificio, per diuersa, & interdum aduersa incedens, se versat & reuersat illa refugiens, aut prodens sui censuram inoffensa censendi libertas, qua eum hos aut illos *----naso suspendere adunco*, alijs *----ridentem dicere verum, Aut veri maiora fide*--- faciliùs aliqui agnoscere vellent, quàm agnoscent. Mixti simul varij casus, fata, consilia, & aliquando horum nihil: simul vera, falsa, ambigua, certa, & nunc magna vitia, nunc magnæ laudes,

aut nec

aut nec horum aliquid. Neq; tamen sic laudari volet bonus Princeps, vt hîc laudatus est Gustauus: neq; verò laudari ille aliter potuit. Quanquam nec sic laudari debuit, etiam dum ridetur, aut carpitur. Nimis enim aperta sæpè laudatio eius est, licet vana, aut falsa: derisio sæpè nimis tecta, quantumuis seria, veraq;: fugitq; interdum properantem curiositatem ludibundi scripti discors industria, dum in magno encomio leuissimè pungit, & ambiguæ vituperationis vim maiore laude tegit aut opprimit, persuadetq; tum aliquem vincere, tum triumphare, cùm victorias, cùm triumphos ridet, aut fingit. Ab hac causa, siue errore, isthæc ingenij bonitas, non potuit omnibus bona videri, eò quod veluti plus in malitia consumatur, cum hostem laudare, siue syncerè, siue fictè potuerit, in patria verò nihil inuenerit, quod etsi non laude, at verecũdiâ, vel aliquo ciuis, filijuè affectu, dignum esset. Ne tamen cancellos modestiæ egredi videretur, per Cancellarium ad ista iuit, quasi ne sic quidem, nisi hostem vltra has nugas oculatum inuenire potuisset, cui patriæ conuicium mitteret, dedicaretq;, licet eidem quoq; Gustauum aliquando irridendum propinet. Sed *vix se mittere*, ait. Rectè quidem, nisi misisset, aut nisi tale fuisset, quod etiam non missum ad hostem, properaret tamen: cum ea cõtineat, ad quæ vltro hostis delectatione totâ *properaret*. Nam aliàs, sicut vix se missurum auctor prodidit, ita quidni vix admissurum fuisse credimus Cancellarium, nisi tam leuem Gustaui morsiunculam, tam vasta Poloniæ, & Ordinum omnium conuulneratio compensasset. Quamuis enim non multum vbiq; gloriæ Gustauo afferat Panegyricus, affert tamen voluptatis, quod aliquis è Polonia, de Polonis Suetico animo, stylo certè scribat. Nihil quidem ad ho-

Dedicat Cancellario Suetico.

Ad te properat, vix me mittente.

ad hostem mittere fas erat, nedum omnē, aut plusquam omne domesticæ debilitatis indicium, omniaq; patriæ vulnera, ad viscera & penetralia ipsa quasi animæ patefacta, explicataq;, & veluti præmorsa. Quantò cautiùs ipse hostis, qui cùm pane, cùm fune, cùm puluere, cùm sulfure, cum furfure penè ipso, non tantùm farinâ eget, hoc est, cùm sitit, cùm esurit, cùm fame & inualetudine laborat, cùm obsidiones ciuitatum fugâ vel inopiâ deserere cogitur, tum inquam, non solùm non ad nos, sed neq; ad suos, nisi occultis notis, & numeris implicitas inuolutasq; necessitates mittit, ne intelligantur, aut non nisi post occasiones atq; opportunitates rerum amissas intelligantur. Meritò tamen *Cancellarium admonet, ne fallatur,* neuè quid ab ipso expectet *simile Panegyrici, vel facundiæ Plinianæ aut Demosthenianæ.* Verum enim hoc est: quippe à Plinio optimus Princeps laudabatur: nihil hîc simile: à Demosthene Philippus verâ, aut variâ oratione describebatur, ùt versutus Princeps, fallax vicinus, insidiosus amicus, hostis iniquus, & alienæ libertatis prædo. Hoc totum simile hîc, tametsi aliter laudetur, aut describatur Gustauus, magno Regi par, nisi plusquam Philippus esse, id est, nisi maiora patrare voluisset. Malui enim ego hoc clarè dicere, quàm cum Panegyrico obscurè loqui. Nam ille *breuissime, & quasi in Indice se propositurum* etiam id quod non proposuit, promisit, licet & plusquam promiserat, proposuerit. Sed tamen sic Indicem aliquando proposuit, vt quibusdam

---digitum porrigeret medium;

etiam ijs quibus reuerentiam, cultumq; debebat, sic quoque modestus penè, nisi alijs pugnum impegisset. Difficilè itaq; est, vt omnes omnia tua, quisquis es, approbent, licet

Monēdus mihi es, nè fallaris, dum hîc simile quippiā expectas, & vel Demosthenis, vel Plinianam facundiam, &c.

Breuissimè & quasi in Indice proponerem.

licet præterea pollicearis te non *ex iniquitate famæ*, sed synceris iudicijs euulgaturũ: quippe vix *Syncerum est tibi vas*. Nam --- *quodcunque infundis acescit*, vsq; in acrimoniam acerrimam & acerbitates acerbissimas, aut in euanidas laudes. Talem ipse prodis esse Gustaui laudem, quam è fraudibus & defectionibus conflasti, aut conflare apertiùs debebas. Neq; tamen talis esse debebat, aut Regis nostri laudatio, cùm eum altissimè euehis, vt sub Gustauum dejcias, aut patriæ & Polonorum descriptio, quos supra orbem terrarum ad cœlos vsq; Romani encomii irrisione effers, quid nisi vt eò indigniùs deprimas? Nã hæc non famæ, sed tui artificij *iniquitas* est. Nulla enim æqua in Regẽ aut in patriam contumelia est, licet tu contumelioſus esse nolueris, sed tãtùm fueris. Meritò ergò in famę iniquitate vera timuisti, falsa non effugisti. Nec à causis quidem timendi aberrasti: primùm, quod *fama quædam in peius extollat*: talis nempè Panegyrici tui magnam impleuit partem, cùm Regni, ciuiumq; facta, mores, leges, libertatem, aut si quid in patria magnum, aut vetustum est, nonnisi in peius & deterius extulit, aut potiùs detulit, plùs

--- ficti prauique tenax quam nuncia veri:

Deinde, quòd *in maius quædam extollat*. Talia sunt omnia, quibus magnum ac penè Deum ridendo faciebas Gustauum, de quo illa pariter

--- facta atque infecta canebat:

ex quibus adhuc quædam dubia cum certis,

Misteque cum veris passim commenta vagantur.

Et tamen ad hæc aliquis habet *Auriculas asini* --- vt non audiat tantùm sed & capacissimis auribus audire cupiat, & credere. Rectè itaq; in hoc veri falsiq; æstu, tanquam solem & lucem fugiens, *vmbram* continuò eligis, quæ *vt*

Malui ea synceris iudicijs, quàm iniquitate famæ, omnia in peius & maius extollentis vulgare.

Defensores Cæli ex literis Summi Pontificis ad Serenis. Principem Vladislaum.

In peius.

In maius.

Vt in pictura decorem luminis vmbra commendat.

in pictura decorem, sic in Panegyrico decus nescio cui commendet. Gustaui quidem decora, sic reuera commendas, vt te pingente, & aliquando fingente, nonnisi vmbra sint, ac etiam cùm maximè ornata fuerint, in vmbram desinant, cum synceri & legitimi illìc nihil appareat, nihil sit. Quod plurimum ex vsu tuo fuerit. Nam & tibi facilius erit illìc vmbram pingere, quàm laudem, quandoquidem dolis tantùm & proditionibus in toto Panegyrico

---stat magni nominis vmbra.

Alia minùs clarè innui.

Itaq; non refert, an *minus clarè* illa, aut illis grauiora *innuas*. Quid enim in vmbra clarum? aut extra ius fasq; præclarum? Itaq; nec ego te ampliùs minutim volo

quasi vmbra quoquò ibis tute, prosequi.

Cum laruis enim mihi luctandum illìc esset, vbi nil seriò nil verè, ac nè verum quidem Regem profers, quando à principio statim pro Rege vmbram, pro purpura cruorem, pro solio spolium, pro laureis laruas te producere non dissimulas. Non corrumpam itaq; laudationem Censurâ meâ, quemadmodum tu penè feciſti, cùm omnia dolis assignare, vel vno hoc nomine appellare, aut *temperare* omnia potuisti. Neq; enim perfidiam rebellionem ac ne impietatem quidem voluisti dicere, cum rem diceres (nam quid minùs Panegyrico conueniebat?) vt cùm per illa omnia eum in Liuoniam induxisses, per eadem in Prussiam mirificè induceres. Cæterum licet vel huiusmodi aliquid, vel paterni iuris hæreditas, aut pacis cupiditas illum in Liuoniam intulerit, Rigam tamen & posteriores successus fraude penitùs doloq; occupasse non æqualiter omnes credunt. Polonia quidem tunc in *Turcam* cui totus alibi Orbis vix sufficit, distracta, vniuersæ Religionis perniciem & excidium depellebat suis armis, non suo tan-

Neq; tu sanctitatè fortitudinis vtilissimâ doli mixturâ polluisti, sed temperasti.

ſuo tantùm diſcrimine. Neq; enim hoſtilitas & clades intra Poloniam hæſura erant, ſi pigrè, ſi leuiter, ſi non veluti tota excîta ad bellum fuiſſet. Potuiſſet tamen, prôh nefas? pro aliorum ſalute minùs fortis fuiſſe, ſi aliquem interim ſe contra Turcam toto conatu viribuſq; pugnantem, timere potuiſſet domi oppugnaturum. Quis enim hominis, nedum Principis Chriſtiani facinus putaſſet, Chriſtianos aduerſum Chriſtiani nominis hoſtem, vniuerſis animis, viriſq; verſos, à tergo inuadere? Sic tamen Riga Poloniæ perijt: ſic pars Liuoniæ abrepta eſt, tanquam à Turcâ abrepta fuiſſet: & inuentus eſt inter ſplendida illa Euangelici cognominis decora, qui quod non potuit Turcarum bellum, auſus eſt poſſe. Credunt aliqui ab innocentia & ſanctitate venientes, id non licere: tanquam ita pietati obligati ſimus, & ſtatim cum vitæ aut nominis exordio, Chriſto promiſerimus, nullibi hoſtem illius contra Chriſtianos adiuuare; licet nunc quidam aliter ſentire & facere cogantur, qui mari & incerti decrementi timoribus annati, Lunæ beneficio egent, quiuè Chriſtum tunc Deum cenſent, cum vtilis, cum fructuoſus eis eſt, aliàs pari cum Mahomete paſſu, vel infrà ambulaturum. Ne contra Pruſſiam tamen aliquid moliretur Guſtauus, nil Deo promiſerat; ideò ſuperuacaneum fuit, quæ hominibus promiſerat ſeruare. Coniugis enim fratri & affini Principi, pollicitus erat, nunquam ſe Poloniam per illius terras aggreſſurum. Quis autem affinitati & Regi (nam Regis nomen propagare nititur) fidem non haberet? Ille tanquam Regibus ſimile quid antea promiſiſſet, irriſit alienæ credulitatis humanitatem, & non velis tantùm maria, ſed dolo terras & promiſſa tranſgreſſus eſt. Iacobus Magnæ Britanniæ Rex, ille canâ

candidaq; pietate, Christianæ Religionis hosti, impijsq; Othomanicæ potentiæ successibus infestus, cum subsidia Poloniæ misisset, hoc etiam ab amicitia Gustaui pepigerat, ne impius esset vellet, neuè Poloniæ, & Christianorum bellum contra Turcam debilius redderet. Sed cùm paulò post eum, & auxilia à se missa ad fretum Danicum auertisse, & bellum in Liuonia renouasse intellexisset, Regiæ libertatis voce, de fide amici Principis questus est, sed ita Scoticè, vt nihil in perfidiam clariùs dici potuerit, & à Rege solùm dici debuerit. Quòd verò Gustauus in Liuoniam transiliuit per mutuorum pactorum violationem, quæ certam vtrinq; diem Clarigationi indixerant, quamuis alienæ securitatis interfuerit fidem publicam seruari, ipsius nihil interfuit, cui fidem pater trans Sudermanniam, & illa priuata Principatus nomina reliquerat, cùm ad Regnum properaret. Præterea, licet belli denunciationem tempestiuè non miserit, in literis tamen quæ lentiùs ambulauerant, longinquus & tempestiuus dies inscriptus erat, vt etiamsi in Liuonia, iusto die bellum indictum non esset, in Suecia nihilominus maturè constitutum, paratumq; nosceretur, quod illi ad causæ iustitiam, & fortunam suam sufficit. Ita planè, si mero mari Brunsbergam vsq;, & vsq; in reliquam Prussiam transijsset, fortasse nec Poloniam, nec Electorem decepisset, cum per *terras* illius non aduenisset. Sic enim, non magis ille mare, & aquas excepisset, nec minùs bonæ fidei fuisset, quàm is, qui dies inducijs certos pactus, noctibus grassabatur. Qui sic venit, non mirum, si *celeriter venit*, cum ante fas omne venerit; cuius nimirum *aduentus, non* solùm *famam* omnem, vti Panegyricus deprehendit, sed fidem, & pacta, & ius omne *præuenit*. An verò inuitare eum

Venisti in Prussiam tantâ celeritate, vt famã, aduentum fa- cta præuenerit.

cum opus fuerit, qui sic venit; ab eo scilicet quærendum est, qui non timuit sic venire. Nempè, qui ad patruelis solium, ad agnati regnum non venit tantùm sed perrupit, is ad affinis ditiones venire metuisset; nisi *inuitatus*, nisi etiam *moneta* inuitatus? adde etiam calamitatibus, quæ non possunt non cum tali aduentu aduenire. Planè si monetarius barbam & capillos flauedine in moneta aspersisset, si faber plus è nasi & ventris tubere, vel staturæ tumore adiecisset, quis non Gustauum pro Georgio Vilhelmo sculptum crederet? Atq; hæc tamen sunt, quæ tu *vocantis, atque inuitantis Prussiæ non obscura indicia* appellas, tibi vni.

Notaueras non obscura vocantis te Prussiæ atq; inuitantis indicia. Tuam effigiem in moneta signabat.

Visa sub obscurum noctis, ---- cum somnia vera:

Ad illud verò *----Censore opus est, an aruspice nobis?* quòd Prussiam inuitasse, & vocasse, ais, etiam quæ loqui non poterat, aut eam, quæ loqui non poterat, in ære desiderium suum, & Gustauum expressisse, vt loqueretur æs.

Dum quæ loqui non poterat in ære exprimebat.

Circumspice dum te, ne quis sit arbiter Nobis---

dùm æra loquuntur; aut Prussia, vel tu in ære ea, quæ neq; in ære, neq; in re vllus expressit, aut vidit. Nam Prussia certè, si

---Si fabulari posset, se defenderet.

Argutum tamen hoc tibi videbatur, &

----tum mirifice sperabas te esse locutum,

cùm *monetam* loquacem ibi facis, vbi muti erant homines. Scilicet, iam non fabula est, quòd Philomela post exciſam linguam, cùm os mutum facti careret indice, ùt Poëta ait,

Stamina barbarica suspendit candida tela
Purpureasque notas filis intexuit albis Indicium sceleris,---

vt tam illic soror in textura miseri doloris, & iniuriæ pro-

fessionẽ agnosceret, quàm hìc *in ære* Gustauus se, & *desiderii* alibi *cruciantis* votum cognouit. Tibi sanè, qui tam fabrè æra & vera, & in ære alia omnia miscere ac effingere nosti, ----*decet statuam statui ex auro*, non ex ære tantùm, quod tam facile erit, quàm ex Electore Gustauum fieri *in moneta*, vel nusquam. Qui verò inuitatus prior fuerat, quid opus erat corrumpere? aut quomodo potuit eos

----*præcorrumpere donis*,

Vnum cognomine posse corrumpi.

qui priores inuitauerant? Sed vnum tantùm huiusmodi fuisse, ais, qui ita *cognomini* suo adhæserat, vt illo *corruptus* fuerit. Ego torrem, vel stipitem illum putabam è fabulis, qui cùm ---*correptus ab ignibus arsit*,

simul *Inscius atque absens flamma Meleagrus in illa*

ardebat. Scilicet ad eam leuitatem genus humanum, aut aliquam Procerum dignitatem redactam persuades, vt illos tam facilè *in cognomine corrumpi* posse credamus, quàm te in nomine toto mutari? Sed, quod hìc de vno dicis, paulò post de pluribus, & iam plusquam de Germanis, aut Pruthenis dices. Nondum constat vbi tam liberalè Sueciæ metallum fuerit, vt copiæ suæ humanitate prouincias, & virorum Senatum corruperit: neq; tam pretiosum, vt vllius ingenuitatis *rubor*, ad eius fulgorem *expalluerit*. Est quidem in Suecia metallum, quod pallere facit, sed in mortem, vndè etiam adhuc tam multis æternus ille *Pallor in ore sedet*--- quos Carolini ensis metallum vitâ expulit, nil præter miserum pallorem in excisis capitibus, artubusq; è muris, alijsq; suppliciorum sedibus ostentantes, vbi innumeræ in insontes pœnarum formæ

Coralliorũ quoq; verecundiam ad tui metalli fulgorem palleſcere posse sperabas.

---*contage sua, & palloribus omnia pingunt.*

Sic Sueciæ metalla domi rubent: an foris vsq; ad mansuetudinis purpuram, vel liberalitatis candorem inclaruerint,

rint, in nullius exempli serenitate, vel beneuolentiâ refulget. Neq; enim adhuc vllos ex ferreis illis fodinis auratos vidimus ----*Danaos & dona ferentes*: cum non donatum, sed raptum huc aduenerint. Sic quidem ego: aliter tu in vocabulis ludis, in quibus nihil relinquis, quod non *corruptum* sit, vt per varia Procerum nomina & insignia, vel illa quæ nemo agnoscit, inambulans, his quidem *in cognomine* constantiam, & virtutem eripias, in *Coraliis* coralijs eripere velis, aut quod proximum cordis integritati est, *verecundiæ* nimirum sanguinem, quos tamen ---*nullâ pallescere culpâ*, fides sua, muneriſq; dignitas permittit. Sed quid ego diutiùs *pallorem* incertum, & sine nomine, calumniâ tantùm aspersum vel notatum, consector? Nomina ipse, sed citra pallorem proprium: nam ruborem & verecundiam consumsisti, cui totæ toto reuerentiæ & moderationis ----*pallent amisso sanguine venæ*, ideoq; nec in calamum quidem vult redire rubor, tanquam tu nunquam *Coralia* deglutiuisses. Et iam putabam te satis, innoxiam, certè non conuictam, aut damnatam Procerum fidem, pessimo, hoc est, tuo, vel qui è conuicio solùm nasci solet, colore aspersisse, cùm video, nec cætera quidem verecundiora esse: quædam etiam fœdiora, & paulò pòst atrociora. Primò geminum factum, magnis patrum votis ambiendum, malignæ ambiguitati obijcis, quasi ideò tantùm, vt duos calumnieris, licet vnum solùm designes. Duo enim sunt, quorum mihi alter nonnisi dignitate & officio, alter crebrâ studiorum in patriam, & pacem operâ notus. Horum alter Regis, alter Principis Vladislai *obsequiis filium* tradidit, neuter *diuisit*. Magnum mihi crede pignus, magnus vbiq; obses est *filius*, nec quicquam est, quod tam arctè, tamq; strictè fidelitatis ne-

tis necessitudinem domino obstringit, quàm proles, nihil quod minùs obligationem diuidi patitur, quod magis affectum, aut periculum iungit, & ligat. Non sentis tu hoc fortasse, neq; agnoscis Crusi, qui filij affectum, vel dimisisti, vel inter charitatis & obsequij nomina non retines, Religionis, & domesticis odijs aliò diuersus. Post hos, tanquam nec homines quidem illic inueniſſes, Prussiam & Proceres ad bestias damnasti, non quidem in arenam, sed ad haram. Vbi enim Prouincia Catones & Porcios expectabat, tu porcos, & nè fortes esse possent, emasculatos, ac in virilitate tota *truncatos Verres* offers, tanquam solus ipse masculo --- *degrege porcus*, præ quo alij omnes sine rostro sunt, aut

In trunco verre debile noueras cõstrui fulcimentũ.

----viuunt siliquis & pane secundo.

Non feres credo ægrè, te ijsdem appellationibus ornari, quibus tu Procerès, & Prouinciarum rectores exornasti. Tuo nunc primùm, conuicij hoc *Fulmen ab ore venit*--- quanto vix olim ille Erymanthius aut Ætolus, erat *----vulnificus sus*: tu primus hominibus in patria primis, & publica functione Principibus, non nominis tantùm integritatem, sed totùm virorum nomen, nescio vbi rapto rostro, *detruncare* voluisti. Cæterum quantumcunq; tibi

...dentes æquentur dentibus Indis,

quantumcunq; etiam acumen omne aculeorum acuas, osq; totum in argutias armes, vbiq; tamen *Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum*, quo

----instar Verris obliquum meditantis ictum,

quos rectà petere non poteras (nam rectè non potes) auerso morsu petis. Illud solùm interest, quod ignominiâ eos distinguas, quos conuicio confuderas: nisi fortè illud clarissimè à te dictum est, cum pro *fulcimento*, *Truncum* das pro

das, pro viro *verrem*, nempè & hunc ipsũ, (nè quicquam integri esset) *truncum*. Quod certè nisi à te dictum esset, nemo dicere alius potuisset, nisi ipse

----sine nomine corpus ---- truncoque simillimus Hermæ,

quales sæpè sine ore, sine naso aliquis Romuli verna in Esquilino, vel alibi effodit. Transis hinc ad *reliquos Borussiæ incolas*, quos *longa pace desides*, non tamen defectores vocas: *oblitam bellorum nobilitatem*, nondum fidei, dicis: *ignaros militiæ Boiaros*: nec sic quidem in barbaro nomine, barbarum aut infidum quid affingere potes. Suauiter tamen Germanos, tanquã nõ tuos, si modò tuos, rides, quos cum populari vocabulo *Barones* appellare potuisses, maluisti semiscythico honorare. Adeò cùm lubet, potes aliquem

---exornare graphicè in peregrinum modum.

Quod sequitur, purè Latinum est, aut tuum: *nutantem procerum fidem*. Nos columnas putabamus, & fidele Prussici *Senati columen, præsidium populi*, cùm tu è nescio qua infidelitatis fideliâ, nihil producis nisi quod

---nutat, nictat, annuit,

sed hosti, si tamen dictis tuis annuit fides. Et quoniam è Germania vsq; vel vsq; è *Trinobantum Augustâ* huc Lynceus es,

Quam tu neque oculis, neque pedibus vnquam vsurpasti tuis,

dic age, quid præterea acutus

---plusquam aut aquila, aut serpens Epidaurius----

in Prussia inspexisti, quod hostem illuc contra Polonos inuitaret. *Inspectricis, Poloniæ molestam potestatem*, inquis, *Salue oculissime homo*. Tam *molesta* iam (credo) erat, vt illam cum mansuetudine Sueticæ libertatis Pruteni mutarent: vt ad illam è *seruitute* Polonica *eximi*, transferriq; voluerint? & vt eximi posset, vocari debuerit Gustauus? Inspectricis Poloniæ.

Memor te non ad eripiendum Ducatum, sed è seruitu eximendum venisse.

Cæpit iam ille eximere, cùm terras & maria exemit, cùm rusticis, oppidanis, nobilibus, prædia ciuitates, victum, & propè omnia ademit, cùm milite in vniuersa immisso, nihil cuiquam ferè reliquit. His videlicet eum præmijs vocare, & inuitare debuerunt *incolæ, proceres*, Elector, & tam anxia *desideriorum* ambitio, vt non veniret tantùm, sed citò veniret. Quod autem ad hæc

Et secundissimo vento appulisti.

secundissimo vento appulit,

Neque nouum neque mirum fecit, neque secus quam alii solent.

Nam & alibi

----eunt tutis terrarum crimina velis.

Et Dyonisij, cursu feruntur secundo,

----ventisque fauentibus æquor

nauigant, etiam postquam templa spoliarunt: hic antè: nam postea non semper, quia nauim quæ libros & spolia sacra vehebat, in portu Brunsbergensi, naufragio castigauit Habus, & nondũ mare. Neq; tamen statim ille tam

----secundo vento vectus est----

atq; tu calumniâ, quam supra omnes Æolios folles,

---plenos & tempestatibus vtres

infestis rerum verborumq; procellis inflasti, implesti, infarciuisti, vt iam nihil nisi probra, suspiciones, aut si quid peiorem habet *sanguinem*, etiam sudo cœlo & dolo

Prouinciæ clauem non tantùm absq; sanguine sed etiam sudore occupasti.

exudare possit, quo Gustauum *Pilauiam* venisse, *prouinciæque clauem*, non absq; *sanguine tantum, sed & sudore* occupasse narras. Nempè is qui pacta, promissa, fidem, fraude præteruolauit, aut violauit, non ita facinus occupauerat, vt nusquam sibi necessitatem aut periculum relinqueret, vbi *sudorem*, vbi *sanguinem* funderet? Sudor & sanguis, nomina plerumq; virtutis sunt: multum certè in vocis malitiâ fraus amittit, si sudore & sanguine rem gerit. De *sudore* tamen

tamen non contendemus: æstas enim fuit. De *sanguine*, non dubitamus in Gustauo. Nam totum eius regnum, aut ius, quo Rex est, sanguine occupatum est, quem licet non totum fuderit ipse, fudit tamen Pater, exemplumq; & fiduciam ei reliquit, iura sanguinis, non tantùm affinitatis, non curare. Quid verò de *clau* dicam? Scilicet ille clauibus egebat, qui absq; illis, non prouincias tantúm, verùm & solium ac Regna intrauit heû quantò validiora, aut maiora, quàm Pilauia, & Pregela, ideoq; iam diu illic multis non sudor solùm, sed & sanguis exudatus est. Et adhuc pluribus fortasse,

Vtilissimã Prouinciæ clauem.

---toto manabit corpore sudor ---ille quidem morituris frigidus,

antequam ius sic partum firmet. Illud mirùm non est, quod tu qui ex vno loco in alium

---palliolatim amictus sic incedis--

malignum humorem in alios exudes, dum in omnium dignitates, & famam vbiq;

---magno gaudes sudare tumultu,

his quidem innocentiæ & fidelitatis totius vestem detrahens, alijs non suum pallium, & aliquando veluti rete Vulcanium imponens, vt irrisi, deprehendantur, aut capiantur. Cur tamen ô *sudabunde* accusator, adeò es

redact⁹ ad hanc vnicam vsq; tuniculam, & ad hoc miserum pallium,

quo nihil tegere possis, nihil velis, sed omnia nudare? Verè

---stylus ille tuus, multi sudoris est:

mallem & ruboris, vt

Dum per limina te potentiorum Sudatrix toga ventilat-

plus è bono humore relinqueres. Nè dubita tamen.

Eia sudabis satis-- nec te

---mare si totum velit eluere omnibus vndis,

omnia dilues, quibus omnes aſperſiſti. Et fortaſſe audebit aliquis innocens eſſe, hoc eſt, exiſtimationis ſuæ vindex. An verò abſq; *terrore* dolus & bellum repentè irrumpete poſſit, animoſiùs alibi dubitare poteras, vbi fortunæ & caſibus, res humanæ ſubiectæ non ſunt. *Venerationem* quoq; an conſternationem, præter ſpem & promiſſa irruentis (vt tecum loquar) *affinitatis* impetus elicere potuerit, ambigere etiamnum forſitan poſſemus, niſi iam & ſuſpiria & lacrymas, & querelas, & totum malorum, ac calamitatum affectum expreſſiſſe omnibus videremus, *affini* verò tam parum ex affinitate, quàm ex Ducatu relictum eſſe, quem ſi non totum ſororius eripuit, maximam tamen partem diripuit. Et hæc nondum veſpera eſt. Tu verò cùm illâ ſtatim *aurora* hoſtilis *aduentus*, nè non tempeſtiuus adeſſes, probè matutinam calumniam paratam habuiſti. Continuò enim inopinas Pruſſiæ *deliberationes*, quaſi *intempeſtiuas* rides, vt nec *ſapientiam* cùm laudas tanquam *ſingularem*, niſi irridere tempeſtiuè poſſes.

Si ex aurora oriente rectè de futuro die ominamur.

Non intempeſtiuis deliberationibus, conatibus tuis moras iniecit Pruſſiæ Ducalis ſingularis ſapientia.

Nimis tempeſtuoſus homo es:

qui nec repentinis caſibus *deliberationis* præſidium permittis, nec *ſapientiam* conſilijs concedis, niſi felicibus. Adhuc tamen quaſi hæc lenta tempeſtas tua eſt: mox

---grandiùs gradire gradus

auſa, rapidiùs etiam currit, quàm quos tu non *currentes* tantùm, ſed *ruentes* fingis, verbiſq; omnibus ad contumeliam incitatis *Das facilem curſum*,---nè non citò ad conuicium perueniant. Num verò *Ciuitas* ibi aliqua ad *Neutralitatem*, vel *inſaniam* ita *cucurrerit*, vt *iuuentute*, *ciuibusque ſuis hoſtiles acies* publicâ auctoritate, vel cõſenſu *auxerit*, pluſquam calamo inquirendum putauerim. Et quoniam in curſum laxatis habenis effuſus *---ire gradibus grandibus* incepi-

Neq; tu incitabas qui ſpoutè currebant, ſed ruentes &c.

Alij putabant ad Neutralitatẽ pertinere inſaniam, ſua iuuentute, ſuis ciuibus tuas acies augebant.

incepisti, facilè euenire potuit, vt cùm trans montes & syluas ad alterius *affinis terrorem* huc adducendum longinquus transilires, alicubi falleret te visus, aut illud, quò aliqua, vltra certitudinis spacia, & in nullâ *via* aliquando vides; quale illud est, quod Pruthenicum affinem *pugnandi viam hosti aperuisse* vidisti; quasi verò Gustauo ad maiora etiam viatore, aut viâ opus fuerit, qui per auia & inuia omnia, ad fasces, regnaq; cucurrit. Neq; tamen tu *viam*, aut locum, vel illud quod *monstrauit* affinis, alicubi monstras, fidem nihilominus tibi haberi vis, tanquam monstra non narrares? Non synceriùs tantùm, & veriùs, sed clariùs Principes accusandi sunt. Et

Istud non satis est vno te dicere verbo.

Vno matrimonio duos tibi Principes deuinxisti quorum alter pugnandi viam aperiret, alter vincendi artem terrore iuuaret.

Ac sic quidem intra primum Gustaui aduentum, aut quod illic malignitati & contumeliæ placuit, Electorem & Pruthenos reliquisti, cum secundo aduentu in scenam acriùs postea producturus, nisi statim *longissimis Comitiis*, tanquam caueis eos inclusisses. Nimirùm tam facilè tibi est laborantes alibi prouinciarum necessitates irridere, qui ipse nullius pars es. Non poterant quidem tunc adhuc, cùm auctæ hostis vires redirent, aut redituras annus & æstas minaretur, non *anxii* esse animi singulorum, neq; tamen *nutabant* publici. Non hic Rhodus est, aut aliqua clarior insula, vbi nunquam vllæ nubes, nunquam vllæ nebulæ. Quid verò *pauidi* essent, si antè inuitauerant, & nunc expectabant? Nam *confirmatos reditu animos*, quid dubitaremus, si nunc præsentiâ recreatos videmus?

Pauidus affinis longissimis comitijs anxia Decreta suspendebat.

Cùm tu nutantes animos iterato reditu confirmasti.

Reliqua deindè, per ænigmata, aut monstra vocabulorum abscondis. Neq; ego cùm Oedipo obscura scopulorum nomina perreptaui, neq; in Sicilia longiorem Promontorij nasum, quàm Taurominium vidi, nisi si tu eum

Persuasitq; Soderano nè ob Tauro-minitanam Minucij fata timeret.

apud aliquem Poëtam creuisse vidisti, vt apud te acumen haberet: neq; plusquam Theseus sum, vt Minotauros, aut quicquid illud est cùm *Tauri minis* ad *timorem* Electori incutiendũ, sine filo persequar. Et quamuis *Oderano suasum* fuisse dicas, ne *Minucii* illius ad exiliũ vsq; *imminuti fata timeret*, non *persuades* tamen persuasisse, vt Minucius esse vellet, licet minora hic nomina, quàm Bohemia, vel Rhen⁹ fluant.

Illud pulcrum, quod de Germanis quædam confusè, ambiguè, & aliquando sub inuolucro, aut larua loqui potueris; cùm verò ad *Senatores Poloniæ* venis, nihil obscurè loquaris.

Palam apertè, planè certè *superbos*, sed & clariùs *venales* appellas. Vide, vt --- *satis hæc tibi sint plana, certa.* Nam aliàs si non hic, alibi certè Iura, Legesq; & aliquando Statuta, paratas pœnas habent in Senatorum conuiciatores: neq; sanè distinguunt, per malitiam, an per Panegyricum, vel tuo, aut alieno ex ingenio probrum dixeris. Neminem commouebo: periculosæ tamen audaciæ vel securitatis esse puto, sic loqui, si modò quis Senatorum venalis esse noluerit. Est tamen fortasse,

Est aliquid quò tendis, & in quem dirigis arcum;

in omnes quidem explodis. Quò grauior contumelia est, quòd neminem excipis. An apud vos fortasse maledictum non est, cùm dictum neminem nominat? Senatus Romani partem magnam corrumpere olim potuerat Iugurtha, tentauerat Perseus, cupiuerat Pyrrhus. Cæterùm hic Curios inuenit, ille Paulos sensit, & ille Marios, aut Syllam nondum venalem. Sed quid ego ad tam perfida exempla fiduciarij Principis fidem? aut ad tam paucorũ virtutem, Senatus domestici integritatem voco? Tam illic Iugurthas non timemus, quàm hic Scauros non osteudes, au-

des, aut non audebis ostendere. Sed repentè, cùm aurum & gazas accusatio præ se fert, nudas papiros, aut literis tantùm notatas profers. Sic debuit languescere calumnia, vt tandem concideret; nisi quòd se mox excitauit, & acerbissimâ comparatione inuidiam in hoste quæsiuit, cùm ei *arma & commeatum misisti atum, ad nos chartas & epistolas*, tanquam peiore, quàm ad Troiam, permutatione, arguis; missumnè verò illuc vltrò aliquid fuerit, an mitti necesse fuerit, nè maiore damno raperetur, non examinas. Vim & proditionem in rebus humanis distingue, & plus ex humanitate habebis. Quoties enim violentæ, coactæq; etiam necessitates, beneuolentiæ vultu prodire coguntur? Numera, pondera nunc illud, quod ibi Prussiã in hyberna sua diuisit, & quod hodie, aut rapitur, vel datur, nè peiùs rapiatur: nēpè nõ ibi hostis sua illâ beneuolentiâ vtitur, quâ ante impetrauit? De *armis* tamen virisq; hosti *submissis*, quid tandem verè, quid candidè dices aliud, quàm eos publico consilio, imperioq; huc missos, ad hostem priuatâ perfidiâ, & temeritate abreptos? Nam tu, & sic Streffium & Teuffelium, & illas trium millium equitum, peditumq; vires à Gustauo Polonis missas dicere posses, quas Dux noster insperatâ celeritate, incredibili fortitudine, & admirandâ vi Gustauo ad Hamersteinium excussit, abripuit, abstraxit. Quanquam iniuriam facio virtuti, gloriæq; Ducis, dum Hamerstinensis facti celebritatem, cum ignobili furto, aut insidijs confero, illamq; domi natam manum, ad tot annorum, tot Ducum, tot cladium, & rerum gestarum facinoribus exercitatam, claramque militiam comparo. Vidimus tamen & nos, huc *missa arma* & equos, in castris, & inter Reipublicæ copias: vidimus & perfidiæ supplicia, atq; vltionem de captis nonnul-

Chartam hosti & epistolas, arma & commeatum tibi submittendo.

nonnullis, qui Principis sui fidem prodiderant, aut deseruerant. *Commeatus* quoq; non semel inter militaria subsidia hîc commeauere, licet inter propiores aliquando manus, aut maiora tantùm nomina hæserint: præbenturq; adhuc. Quibus de rebus, non eadem mihi, quæ tibi libertas est. Nunc paululùm rerum seriem immutabo: ignosces enim, si pulcherrimum ordinẽ tuum non vbiq; sequor, aut assequor. Quod enim tu in principijs collocasti, ego in mediã quasi aciem, diuersi consilij lege transferam: quanquam maluissem id apud te fuisse vltimum, aut nullum, si modò in calumnia aliquid vltimum esse potuisset; in qua hoc primum fuit, quod nusquam esse debuit. Nam cùm sagaciſſimæ inuentionis instituto propositum tibi fuisset, varia hominum, rerumq; fata tractare, quis non, omninò postquam Ciuitates, incolas, proceres, Senatum, Principes in hoc velut turpitudinis & infamiæ theatrum producere in animo (nam in scripto alius ordo est) statuisses, quis inquam, non ---*hunc finem putet*? *Gradus est*: adeò non hic stetit nefas. Fuit enim super illa omnia, quẽ ante omnes impeteres, Rex nimirum, & ille quidem tuus, quem vt per sæua, impiaq; vocum ludibria malignè laudares, mox *victum* producis, non iam

Quem vincis.

---*fragili quærens illidere dentem*,

sed solido, & solio.

Adeo---*nullus verbis pudor, aut reuerentia*,----

etiam vbi te non pudere tantùm, sed pauere oportebat.

----*Nec meus audet Rem tentare pudor*---

vltrà, cùm illud, quod non audet de se, aut de magnitudine sua ille mundi terror, & maximi iamdiu imperij dominus, in totius potentiæ felicitate prædicare Turca, audes tu Sudermannicæ tribuere. Adhuc

non

--- non erat vllum Exemplum in nostro tam detestabile---

euo, quod hucvsq; scribendi temeritatem efferret, nisi si apud hostem pascitur, ex Armenia, vel simili nomine fugitiuum. Sed mox quasi aliquid ex ignominia demeres, non penitùs victum, sed pessimâ dubitatione, *vel victum, vel exæquatum*, tanquam molliori verbo dicis, si modò quid molliter in Regum famam, aut maiestatem dici potest. Apage te cum tàm versatilis, nè dicam peruersæ ambiguitatis artificio. Nam tametsi, aut fingamus animo (fingere enim oportet,) aut meliori explicationi imperemus, (vide, quàm insaniam tuam volo adiuuare, & corrigere!) vt credamus te sic in fictis vocabulis Gustauo illudere, nihilominus tamen ad tam incertam & obscuram explicationem non debebas multorum simplicitatem, & candorem, fucis, nugisq; non assuetum alligare. Reges meritò sua maiestas, & obsequij fas, super hos lasciuientium scriptionum lusus posuit: nec in illos ius habent conuicia, etiam simulata. Omnia circa ipsos, reuerentiæ non solùm synceritatem, sed & necessitatem habent. Poteris tamen quamprimùm Clauem, aut si quid meliùs scriptum, & mentem tuam aperire possit, ad Gustauum, aut ad nos mittere, vt sciamus, an in Romana lingua (nam in tua fortasse aliter) *Rex* aliud quàm Regem significet, & an *vinci*, non hoc sit quod tu, Latinè de Rege tuo scribis. Hìc quidem, vbi *ficum ficum, ligonem ligonem*, appellant, nemo aliter rem assequi potest, nisi ex ijs aliquis, qui sensum tuum, aut suum prodere non audent. Tibi sanè, etsi non ita sentires, non ita loqui licebat. Nec semel, sed *secundò Regem in Prussiam*, tanquam ad nouum ignominiæ campum per ludibrium educis, & reducis, exercitumq;, & prælia, & castra manifesto irriso, & conuicio re-

Quem vincis, vel exæquas.

Iam secundò Polonorum Regem in Prussiam exciuerat, iterati aduentus tui fama.

cio, Rectori suo exprobras, nè dicere possis te solos Polonos ridere. Grauatè (fateor) hoc protuli, sed tu grauiùs. Tametsi itaq; felicem alicuius industriam singularis ingenij simplicitas, aut subiectionis fides, vel diuinatio domi & apud nos, ad molliorē interpretationem, aut coniecturam trahere possit, quis exteris tamen hanc incertæ moderationis, aut obseruantiæ necessitatem injiciet? Manifestiùs hæc ego deducere possem, & quodammodo Regi & domino debebam, nisi in ipsa atrocitatis demonstratione, peiorē aut similem atrocitatem timerem. Tu certè hoc, domino & Regi debebas, vt nemo etiam volens, nè dum à te tractus, in malignam æstimationem aberraret.

Post Regem minora nomina prosequi, minutum fortasse quibusdam videri posset, nisi Regna essent, aut tam magna, vt Regna faciant, aut conseruent. Iis ergo verbis, ijs elogijs primùm vniuersam hanc nationem descriptam, & aliquando circumscriptam, in orbis totius oculos, & diuersos terrarum, hominumq; affectus emittis, vt nihil iam illi, neq; ad ciuilem, neq; ad militarem prudentiam, reliquum feceris: quid confidentiùs? nihil ad modestiam, obsequium, fidem, integrum; quid immaniùs? Nam his amissis, vel per te ademptis, quid reliquum? quid integrum? *Comitia* deindè, *Leges*, *Statuta*, *Libertas*, & alia decora, aut præsidia Regni, à calami tui, tanquam ad hostem properantis impetu, in quid aliud, quàm *vmbram*, *iniuriam*, *captiuitatem*, & similes ridentis *Calepini* voces, aut fœces mutata sunt? Sed illa facilè sua vbiq; auctoritas, dignitas, ius, fasq;, & quandoq; necessitas tuetur, defenditq;, aut iam alij defensione attigêre, vel tangēt validiùs, si modò defensione pro se egebit aliquid

Nono Calepino, quod alij stultitiam, vos libertatem dicitis iniuriamq;, &c.

Paria

Paria his sæpè, & aliquando validiora nomina, Bellum, & militia, quâ non verborum indignitate à te tractata sunt? Existimo esse, qui ardentiùs patriam, quàm tu, ament. Nemo tamen sic Patriæ Aquilas, Duces, milites, & totum, belli momentum, per risum & ignominiam, vel incertæ, aut variantis interdum fortunæ vicissitudines, ad sanitatem, disciplinam, felicitatem traxit, correxit, vel sanauit. Credo enim hunc tibi scopum fuisse; nisi si scopulus fuit; ad quem minùs tamen allidere poteras, si minùs tempestatis ipse attulisses, aut si te Roma, vel dignitas Fabium contra Scipionem in Sicilia, aut Marium contra Metellum, & Nobilitatem creasset. Nullam fortè contumeliam, aut dictorum acerbitatem, sed prudentiam tantùm, aut non insciti rerũ bellicarum, se è Stoâ afferre coram Annibale Philosophus quidam, alia non indoctus putabat. Reiecit hominem vetus Imperator: nec aliam ob causam, quàm quòd nullum militarem puluerem togâ circumferebat, tametsi non tam recentem illum à Schola, vt tu, circumferret. Eudamidas Lacedæmon, maiorq; eo Pyrrhus, illos quorum nunquam aures tuba, aut classicum circumsonuisset, gemini consensus auctoritate à publico sermone de bello, deiecerunt, quòd eiusmodi homines cum fide de re militari loqui posse, non censerent. Sed neq; tu loqueris: aduersa tantùm, aut dubia, vel cùm multum præstitisse videri vis, errata, peccata, & si quid pl⁹ his peccat, in medium proijcis. De cætero, te intra ea septa, metasq; continuisti, quibus sana vel tempestiua consilia nesciuntur, (magnum enim confidentiæ temperamentum est, nescire,) ideòq; neminem tam infestum tibi esse credo, qui te sciuisse, noluisse autem in lucem, & os populi proferre existimet, quem mirificâ moderatione videt

vitiorum euulgatione contentum, solâ aduersorum prædicatione instructum.

Cùm verò & Prussia, crebram laudis materiam subministrârit, & Liuonia, belli pulcherrima sæpè decora, ac triumphos miserit, cur ad illa ambigua, vel improspera interdum, aut infelicia tantùm exempla, Patriam, & rem vniuersam bellicam vocas? cum vel *in Indice, breuiore* etiam quàm tuus ille malorum vel aduersorum in Panegyrico est, proponere potuisses, quæ famam, decusq; gentis apud te, aut per te, apud exteros pereuntia, aut non nisi ad hostes relegata, retinerent: Ac primò quidem, cur Pruthenicæ nationi gloriam suam inuidisti, cùm frequens nobilitas, & pro virium portione Torunium, suâ iuuentute, suis ciuibus, accurrēs ad Graudentum, exultantem hostilis ferociæ atq; successus impetum stitit; & iam tum ostendit, non vltrà fraudi, neq; proditionibus, aut defectionibus illud licere, quo hucvsq; fortunatus, aut magnus videbatur Gustauus? Nam Gedanensibus tuis (credo) iratus es, quos nec in Ciuitatis suæ munitione, aut defensione, neq; in hostis, non solùm elusi, sed etiam repulsi ignominiâ, vsquam monstras. Cur deindè Poloniæ nobilitatis ad Prussiæ subsidium festinata auxilia, aut gemina expeditio Regia, & iterati labores, Regni subditorumq; emolumentis dicati, nullum apud te honestum nomen, nè dum honoratam mentionem habent, sed merâ, solàq; dedecoris & ignominiæ commemoratione à te producuntur? nusquam verò militum immensi labores, nusquam hyems sub pellibus acta: nusquam fortiter toleratæ necessitates: nusquam illæ prosperæ velitationes, illæ tot hostium captiuitates: sed cùm fortè *fortissimos*, cùm *bellicosissimos*, cùm *exercitum victoriis inclitum*, cùm *inuictam gen-*

Si breuissimè & quasi in Indice proponerem.

Considerabas fortissimos.

ſtam gentem, æterna arma, potentiſsimum regnum dixiſſes, omnia in *ventum* proijcis: *ventoſam* enim *nationem* ſimul dicis: aut ſic omnia hæc dicis, vt præterire tãtùm, nulli mõſtrare tales voluiſſe videaris: interdũ inter *calones*, & *lixas*, & per *hoſpiciorum* terriculamenta ſolùm monſtras: nec apud te ſic monſtrare, monſtrum eſt. Monſtras tamen in victorijs contra *Turcas*, *Tartaros*, *Moſcos*, ſed tam propè *Pygmæos*, & *Grues*, vt non fruſtra, tam parua & ridenda nomina præmiſiſſe credaris, quia mox minimo, & pluſquam irriſorio verbo, *contemni* eos *poſſe* apertè aſſeueras, vt *victos* dicere poſſes. Vbi verò vſquam Dux? vbi inquam, niſi inter probra, vel in aliqua rerum iniquitate monſtratus? vbi verò illa conſiliorum promptitudo? laborum in omnibus communicatio? moleſtiarum æqualitas? illa non ſolùm curarum in longinqua, in vicina vbiq; prudentia, ſed expeditio, & in caſus omnes præſentia? & quà labor, quà periculum, quà gloria, quà ſalus vocaret, præter ſpem hoſtium, contra locorum, & temporum ſæpè patientiam, accurſus. Nuſquam in omnia excubantis, ad omnia accelerantis indefeſſa diligentia: nuſquam circa diſciplinam, circa obſequium militis cum diuerſis rerum multarum, præſertim ſtipendiorum difficultatibus luctantis, proſpera ſolicitudo; nuſquam prudentiæ militaris, nuſquam factorum felicitas: non ſyncerè vſquã caſtra, ciuitateſq;, nõ in terrâ ſolùm, ſed è glaciato mari expugnatæ: nuſquam etiam illud, quod nunc ferè primùm in Polonia nomen, famamq; meruit, foris admirationem; nempè hoſtiles naues, in illo oſtentationis & iactantiæ ſuæ mari profligatæ, captæ, & abductæ. Mitto alia: Hamerſtenenſe verò factum, quàm ieiunè, penè dixiſſem malignè, tractaſti? vbi in Megapolitano milite nihil magnum, nil

Non contemnebas exercitum victorijs inclitum, &c.

Putabat ventoſa natio. &c. Verùm & lixarum calonumq; indigeſtam multitudinem numeras, hoſpitibus, non hoſtibus metuendam.

Non Pygmæos aliquos aut Gruum triumphatores, ſed Turcarum victores, Tartarorum domitores, Moſcorum debellatores, victiſti.

simile nomini suo exprimere voluisti: quo tamen, quid aut ad rumorem, famamq; ferocius? aut ad hostis spem tumidius? Quàm deindè subita, inopinata, atrocia, & (neq; enim vana priorum facinorum fides) immensa omnia erant, vbi infesta, horridaq; illa, & nil nisi spolia, ac prædas sonantia nomina, & quæ à perduellione, ac Ciuitatum, prouinciarumq; vastationibus se venire testarentur, iamq; minas, & victoriam in tota vexillorum superbia depinxerant, vbi, inquam, illa terribilia, & iam nil nisi Diabolum frementia cognomina, copias vimq; & formidinem ducebant. Quantum hìc venire oportuit eum, qui hæc debellaret? imò quantus venit, qui hæc debellauit, & illa timenda, immaniaq; ad humilitatem, ad submissionem & vniuersam deditionis ignominiam, totamq; supplicis fortunæ necessitatem redegit? Sanè, si quantum hostis, vel terroris aduersis partibus, vel suis fiduciæ præferebat, & iam in vicinià ostentabat, tantum etiam laudis ad Ducem transire debet, (vti meritò debet) qui hæc omnia pessundedit, & disiecit, vbi pulchriùs disertus esse potuisset Panegyricus? vbi glorioſiùs exultare gratulatio? vbi deniq; iustiùs grata esse laudatio?

Streeff tanquam a prædationibus dictus.

Teuffel, notâ significatione Diabolus.

Multum verò consuluit pudori tuo fortuna, quòd vsq; ad Baudesium captum silentij tui constantia, per temporis iniuriam peruenire non potuit. Nam & hoc sine dubio siluisses, nè Germania legeret illum in Polonia, à Polono Duce, & quotulâ copiarum manu! captiuum, quem illa tota sistere, aut figere, vt comprehenderetur, vt caperetur, non potuit. Quâ tamen in re, quàm exili, quàm leni verbo, quàm magnam laudem attigi? vbi captum esse hostem, minima pars laudis fuit? Superstes enim ille Manssfeldici exercitus grauissimus, maximusq; terror.

terror, ille totius fœderis externi stimulis, viribusq; huc missus, Gustauianis etiam votis, literisq; Elbingâ, & à recenti aduentu accersitus erat, vt famem, & nouissimum penè fatum, à castris ipsius depelleret. Is ergò cùm in Ducem nostrum, cætera ignotum, solâ fortitudinis gloriâ conspicuum, acerrima belli munia consilio, manuq; exequentem, simili ardore, aut cæco pugnæ tumultu ferretur, nudo ferro in ictum, & veluti victoriam elatus, atq; exertus, sic ab obuiâ & quasi transeunte erga pariter ignotum, Ducis virtute ictus est, vt ferrum, manumque, & animum dimiserit. Et nunc quoq; non obscurè, neq; indignè circumfert magni doloris solatium, inq; laude numerat, à Duce vulneratum esse, accepitq; in vulnere affectum hostis, quem tu in beneficio publico sæpiùs accepto, nunquam accipere, vel testari potuisti. Quin potiùs, tanquam tu Hollandus in illo *conuiuio* fuisses, vndè tumultuariè in pugnam rapta ais omnia, sic omnia non domestico, sed quasi fœderato cum hostibus oculo notasti, peiore calamo notaturus, vt nil nisi *tumultum, gemitum, fremitum, hinnitum*, aut cùm hilarior es, *Scyphos, temulentiam, Bacchanalia*, tumultueris, gemas, fremas, hinnias. Sed

Bacchæ bacchanti aduersarier si velis,
Ex insanâ insaniorem facias.---

Itaq; te illic relinquam, vbi nil sani facis, nil memoras. Non inuidemus tamen Panegyrico, aut hosti comparationem qua vulneratum & *labentem*, apud nos quidem hodie Ducis nostri equum ostendis, illic postero die Ducem ipsum, aut si quid is plus est, monstras.

Fluebat autem immortalis sanguis Deo,
Sanguis, qualis nempè fluit beatis Diis.

Cùm illi hospites Legatos conuiuio exciperent.

Relictis scyphis Poloni. Bacchanalijs, quæ castris similiora; &c.

Venit celeritas; perseuerantia, vt te hominem credere-mus. Hominem vulnera docuerũt.

Tam

Tam propè enim Deus fuisset, si temeritas cruenta non fuisset, quàm propè homo esse desijt, cùm vulneratus, cùm lapsabundus, non abire potuit, sed abripi debuit. Is tamen domum regressus sine dubio Sueciæ

Ostendit immortalem sanguinem defluentem ex vulnere,

non solùm autem hunc, sed etiam illum, quem *ad Vistulæ diuortium fudit*, Sueciæ, inquam, quæ aliquamdiu Regium, aut syncerum Regum sanguinem iam non videt. *Ire* te nunc iuberem, omnibus tuis verbis, & illâ qua tu soles, iubere alios abire, verborum vehementiâ, si tu aut pedes, aut potiùs pedetentim vsquam, per conuicium ire potuisses, aut rectà vsquam iuisses, qui vbiq; saltuatim omnibus insultas, cui deniq; modestia, per honoris & existimationis vulnera alijs inflicta, vbiq; claudicat: aut si te tot ludibrijs, & contumelijs onustum ferrè vllus *equus*, etiam ille Troianus posset, licet assuetus ferrè Vlysses, non tamen Sinonas, vel quod de illis Pœta, aut de se Sinon sensit. Tu tamen, tanquam *in equestribus sederes*, aut illic, vbi Censorum barba sedet, cùm in Prussiâ equum per ignominiam vni ademisses, alibi quidem alterum, in equum attollis, sed vt altiori velut ignominiæ ostendas. Nempè, si aduersùs consilia, meritaquè alicuius nuper in Liuoniâ, fortunæ aliquid licuit, non id iamdiu, plura ac maiora virtutis, atque felicitatis publicæ decora ibi non solùm compensarunt, sed etiam superarunt? Omitto Kockenhausum, Volmariam, Derpatum, Veisenstenium, & alia Sueticis cladibus cruenta nomina. Quoties sufficit gloriæ, imò quoties vincit contumeliam, & quicquid Lithuanis obijcis, vna Kircholmensis pugna, vbi hostis nihil se reliquisse putabat, neque manibus nostrorum, ad pugnandum, neque spei ad audendum. Ille tamen

men magnus Princeps, & pater huius, ille inquam, iam ibi ad Regnum pugnans Titanum genitor, nationum omnium viribus instructus quàm turpiter, quàm ignominiosè perditis rebus omnibus, nunc eques, nunc pedes, nunc fudus, nunc vdus, per aquas ad salutem profugit? Ietiamnum, & prælium, vel factum aliquod hosti commenda, vel ciuibus exprobra: Nam in eo, quod tu attigisti, quid est, quod vel exercitui toti, vel Duci exprobrare possis? Quod si aliquis *equo* illinc auectus vel ereptus est, iam antea in Prussiâ, Ducem hostium sub Regio nomine bis ablatum, asportatumq; monstraui, & in Liuonia patrem illius plusquam Ducem, non *equo* tantùm, neq; parte copiarum, sed omnibus Principis insignibus, sed toto exercitu, ac terrâ deniq; amissâ, omnibus nominibus fugitiuum,

---& salsos reuomentem pectore fluctus,

manibus, pedibusq;, velis, remisq;, ad perpetuæ cladis ignominiam, atq; dedecus ægrè euadentem. Neq; cessas tamen, sed adhuc illic

fatuos, rudesque quæris
Illudas quibus, aufferasque mentem,

vt *stultos* appellare possis. Sed verum est, licere--*stultè aliquid cum sale dicere.* Nec tamen ideò efficies, vt non laudi, gloriæque sit, quod tu *stultitiam* esse velles. *Pugnant* Lithuani *diu*, pro Rege, pro patria: addo ampliùs: in arduis, in asperis, & aliquando aduersis; & sic quoq; *pugnare*, pietatis, fidei, constantiæ est. Tu tanquam Punicam fidem, in Punici vocabuli similitudine per cambium inueniisses, *Byrsam*, quo olim nomine Carthago Pænorum vocabatur, solam voluisti nominare, vt sola recepta crederetur, etiam cùm *nonnullas alias*, sed sine nomine insinuas, vt

Lithuanos vobis longè stultiores esse, quod diutiùs cum illis quàm vobiscum pugnarunt Succi.

Byrsam, & nonnullas alias arces ob interlabentē aquā incommodas detrēdas honestissimo cambio alienarūt.

as, vt nusquam nomen habere crederentur; cum tamen inter arces, Brzezensem, Lucinensem, Kricborien sem, Rezicensem, Marienazensem, Zelborien sem, & Tractum præterea Dyneborien sem, non per *cambium*, sed vim, & virtutẽ sciam⁹ recuperatũ, dum *Sapiehano* ducẽ res geritur. Ac licet plures illic pro ratione temporum rem gesserint, non me coges tamen vllum contumeliæ subijcere, provt tu penè omnes. Vnum quidem omninò taces, tanquam nescio quid in Aquila & vnguibus metuens: sic tamen, vt non nisi per ignominiam à te prætermissus, tacitusq; videretur, quem non solùm non mentione vllâ, sed nec indicio dignari voluisti. Alterum quasi nudiustertius nemo nouisset, aut non natus fuisset, heri primùm in lucem & ad claras familias, atque illustria insignia nobilitatis admisisti. In tertio, cum virtutem calumniari non posses, senium aggressus es, contumeliæ assignans, quod gloriæ assignare debebas. Vndè autem tibi *Hæc mera libertas*,----

Ob heri natam familiam.

Fulcibundum senem.

vt quem Regia electio, quem publica expectatio, quem maxima prouinciæ dignitas, & illa rerum omnium ornamenta tantæ potestati paria, quem supremorũ honorum functiones, & longissima experientia, quem æquabili meritorum laudumq; consensu, atq; firmitudine incedentem, secundus, florensque virtutum vigor, ad annorum & gloriæ fastigium produxit, hunc tu malè incedenti voce, ad nominis famæque ludibrium, & negociorũ gerendorum veluti debilitatem detraheres? Sed apparet te plusquam in illum contumelios um esse voluisse, assuetum iam Principi, & Regi, paria aut grauiora exprobrare,

Censor maxime Principum:

Ac nè non nouum conuicium adferres, nouum verbum confla-

conflasti, vt quod nullum in Latinâ linguâ erat, in tua primùm esset, nè integer, nè fortis, firmusque pro Republica & Patria staret, quem rerum gerendarum columen prouincia acceperat, dederat verò is, in quem tibi nil licere debuerat, etiamsi in alios omnes licentiam rapuisses. Pro ætate verò eâ, quam consiliorum & sapientiæ omnis securitas, grauibus, arduisque negotijs vbique adoptat, à magnis documentis, exemplisque auctoritatem, vel à sapientissimarum Rerumpublicarum vsu, consensuq; documenta sumere, vel (ùt tecum iterum loquar) *fulcimenta*, quid nisi omnium ætatum, & iudiciorum dedecus esset? quæ prudentiam, tam in annis eligunt, quàm in armis approbant. Nec post hæc quicquam aliud superfuit, quàm vt Regum, Regnorum, Principum, Ducum, Procerum, dignitatibus atq; æstimationibus transactis, ad vrbium, ciuitatum, arcium, oppidorum fata, censuraq; descenderes: vbi primùm debiles, infirmas, timidas, & aliquando perfidas produxisti, vt dein fortes, synceras, fideles, aut innoxias, veluti ipsa serie, & impetu malorum obrueres. De *Brunsberg*â quæ prima in hostẽ & calamitatẽ incurrit, non miramur. Eruditorum id iamdiu Consulũ municipium, & Mineruæ magis, linigeræ, quàm hastatæ, aut galeatæ domicilium, bellicorum animorum, ac institutorum ferè insolens, nisi cum de Piscatorum gloriâ, longæ illæ sudes, & non ---*acuta cuspide conti*, tanquã hastæ, in foro glaciato, per Bacchanaliorum fortitudinem, & lætitiam decernunt. Dignum quidem meliori fortunâ, tam literatum oppidum erat, dum defenderetur, & nunc mitioribus imperijs, cùm detinetur, vbi etiã è Crucibus & lignis sanguinẽ feritas excutit, humanitati quoq;, aut pietati certè in Diuinitatis imagine iam

Piscatorum olim Brunsbergensium hyemalia certamina.

Sueci in Crucem iaculantur, vnde sanguis fluxit.

infesta. Ad proximum oppidum, templorum, (credo) magis, quàm loci, aliarumue rerum opportunitas inuitauit. Et antea sic etiam non hostem inuitauerat. *Elbinga* beneuolentiâ, & obsequio in Principes iam antè non falsis laudibus sæpè commendata, Principem cum non diuersa Religione venientem humanissimâ proditione excepit: nescio à Consule, an à stupore suo decepta, neq; toto tamen fato, vel culpâ, tam crudelem, aut tam diuturnam malorum sortem merita. *Marieburgi* quidem Consul, licet iamdiu in cognomine vendiblis, Ciuitatem tamen solâm miranti & nondum signa, minasque illic ostentanti hosti obtulit. De Arce, & præsidio

----sub iudice lis est.

Marieburgum Polonorum fidelissimo præsidio munitum, suspicientibus (pro suspicãtibus) cunctis, &c.

Tu factum laudas, sicut omnes; suspicis sicut omnes, licet aliqui te in propinquo verbo, te monstrante, aut ludente, nescio quid *suspicentur*. Nusquam verò clariùs, quàm in eius facti ambiguitate, Panegyrici consilium, scopum atq; institutum totum prodidisti; quæ si non vbique tam facilè assequimur, quàm tu abscondis, condonabis vltrò: nam non vbiq; tam clara sunt facta. Minora deinde oppida, Ciuitates captas, aut deditas, nullâ ferè sententiâ crucias: quasi nullam, post Elbingam, aut Marieburgum vinci, post nobilitatem se, Castraq; alicubi dedẽtem, dedi peduisset, aut pudere debuisset. De Præfectis tamen Arcium aut Ciuitatum, non potest gaudere vsquam hostis, tanquam captis, aut deditis; quod solùm eius virtuti, aut felicitati non licuit. *Noua* illud noui, nouis rebus attulit, vt quàm improuisò & velociter capta fuit, tam insperatè & celeriter recepta sit: hoc etiam glorioſior, quòd & hostẽ cædi in campis, antè vidit, & liberationem suam vel adiuuit, vel monstrauit; non exile calamitatum

Noua.

suarum

suarum solatium in illa alternantis fati vicissitudine latura, aut vicinis, dissitisq; oppidis ostentatura, & fortassè alicubi animos vel exemplum datura. Circa *Brodniciam* pia ignoratione innocens est calamus tuus, vt tantùm externus ibi nocens esset. Digna tamen profectò fuisset Panegyrico tuo, vel eo, quod illic irasci, aut ridere quædã solet. Optimè tamen cum indigenâ sanguine, atq; existimatione fortuna decreuit, vt illic

Brodnicia.

--- ---*custos Gallicus vrbis*

fuerit, tanquam nè ad domesticum nomen, aut ignominiam dedecus tantum, magis quàm Imperium transiret. Nam quòd peregrinus Centurio, aut Tribunus, non tantùm Ciues, & illos Germanos penè volentes, sed Polonam nobilitatem, militemq; mirantem, & repugnantem, potestate suâ maior, dedere potuit, facilius supplicio, quàm fidelitate excusare iussus est. Sed is tamen fortiter mori potuit, qui turpiter viuere noluit, cum fidem seruare hosti maluerit, quàm Reipublicæ ciuitatem. Moriens verò, in dubio facto non dubium secum ad inferos elogium tulit, Gallos verborum, quàm rerum tenaciores esse: licet illum doluisse ferant, quòd externa tantùm papauera plectantur.

Sed redeo ad singularem ordinem tuum, in quo post captarum, aut deditarum Ciuitatum quarundam enumerationem, quasdam non captas oculo, aut conuicio quasi prætereunte attingis: nisi & hoc tam acre fuisset, vt longè *distantia* ferire, & *splendorem* penè ipsum è tectis & *Curiis* aufferre potuisset, si non virtus & innocentia affixisset. Adeò etiam vbi procul sitæ sunt causæ, aut nusquam, propè tamen, & parata vbiq; est contumelia, tenebrasque & veluti noctem infidelitatis, aut si quid fædius

Torunium. Quàm propensè à splendidissimâ Curia exceptus fuisses, nihil magis quàm distantiam tuam dolente.

dius, obscuriusque illic est, inijcere à longè clarissimæ rerum integritati laborat. Sed frustra. Quantumcunq; enim tibi

---magna malæ supereſt audacia cauſæ,

à nullâ tamen cauillatione, nèdum crimine elicies, vt non *splendeat Curia*, vt non fulgeat illic ciuium fides, licet nubes & tempestates Septentrio minetur. *Distabat* longè *hostis* antea, misit tamen *Torunium* vltra territorium suum, ad prouinciales copias etiam ciues & stipendiarium militem, vt longiùs hostem, cum alijs, aut dimoueret, aut sustineret. Tu vocasse dixisses, si minùs prosperæ res fuissent. Tantâ nunc circumeuntis curæ operositate, & diligentiâ, à te ex quocunq; longissimè distantis, aut nusquam inuentæ fæditatis centone, per ignominiam

---qui splendeat vnus & alter Assuitur pannus---:

tanquam nisi tam *splendida* fuisset *Curiâ*, non potuisset *splendidissima* esse calumnia. An non minùs *distantem* nuper habuit hostẽ ciuitas, quàm tũ cùm Gustauꝰ Neoburgum tentaret? nec tamen de propinquitate suâ gauisa est, vti gaudere debuisset, si priùs de *distantiâ* suâ, (ùt tu criminaris) *doluisset*: non curas certè, non solicitudinem auxisset, non preces vndiq; misisset, aut circumtulisset: non auxilium, non præsidium orasset, vt *distare* ab hoste posset. Ideò Ducis quoque virtute perfectum est, vt hostem, tunc vicinum non sentiret fides, distare putaret obsequij alacritas.

Poteras & tu iam nullam propiùs accedere, nisi conuicium in alienis Ciuitatibus prætentasses, vt in tuam validiùs stringeres, cui pro magnis, pro fortibus animis *superbiam*, pro perseuerantia *trepidationem*, pro constantia *confusionem*, pro singularis prudentiæ felicitate, *consilij inopiam*

Ipſos Gedanenſes Romanis ſuperbia continuit.

piam tribuis. Rei tamen atrociſſimæ grauitatem languidioris vocis acumine ſic temperas, vt cùm infideles dicere velles Gedanenſes, ſolummodò *an fideles eſſe deberent*, dixeris *conſultaſſe*; non dubitans, te etſi, plus non dixeris, ſatis ibi dixiſſe, quandoquidem

qui deliberant, deſciuerunt.

In Tractatibus trepitabunt. An fideles eſſe deberent conſultabant, inopes planè conſilij, ac mentibus confuſi.

Quantò autem honorificentiùs tibi fuiſſet, fideli, & ſic honeſtâ patriâ natum eſſe, vt talis ipſe viderere. Nunc neſcio, quid de te ſuſpicabuntur homines, qui Gedanenſem putauerant. Fuit quidem neceſſe Vrbi nondum aduerſus inſtructiſſimum bellum vndique inſtructæ, aliquando

--- cum vulpe vulpinarier,

vt fraudẽ callidè, ſuauiterq; venientẽ, pari aſtu & prudẽtiâ excuteret, vi mox vim excuſſura. Atq; hæc prima tamen illi de Guſtauo victoria fuit, vt ad redituru ſæpè dec' ſæpè animos & vires, & iam ſecuritatẽ ſumeret. Sume itaq;

--- ſume ſuperbiam Quæſitam meritis---

Vrbs inclita, quam ciuis tuus in flagitio & ignominiâ aduerſum te quæſiuit, ſed tam vanis conatibus ad te conuincendum, quàm hoſtis ad vincendum, aut decipiendũ, licet ad hoc conſilia, prætextus, ſpeciem deniq; omnem clam, apertè, verè, falſò conducibilem, in tota verſutiâ ſuâ, & alienâ, ac etiam trans mare non ſuum mutuò ſumptâ calliditate, in omnis generis artibus, promiſſis, minis quæſiuerit. Quàm blandè enim fraus, inſidiæ, & mellea pacis nomina, & illa peior bello, Induciarum, vel Neutralitatis legatio coram te perorabat, deceptura, aut raptura Ciuitatem, portum, & in illis Pruſſiam, ac vniuerſi belli compendium: tam fortiter, tam cautè, ſolidèque contrà fides & prudentia ſtetêre. Nec ferè ambiguum eſt,

quin

quin hæc felix, & glorioſa illa mora fuerit, quâ furentem hoſtilis fortunæ impetum, alibi etiam morata es, licet eò validiùs illum ſcires in te prouocaturum, & mox prouocaueris, non abſq; immani rerum tuarum, nullo tamen fidei, damno. Quòd enim ſimul emolumenti, quòd commodi genus non amiſiſti, aut non vltrò dimiſiſti? quæ non detrimenta, calamitates, clades? imo quod non in maximis partibus excidium ſubijſti? & tamen par, aut maior omnibus malis, obuiam fortunæ is, pergis, duras, etiam vbi duriſſima, vbi atrociſſima, ac etiam vbi ad viſcera penè, ſumptus, & incommoda belli penetrarunt. Omnibus enim circumiacentibus opibus, in agris, prædijs, villis, vbique direptis, & territorio toto flamma ferro, rapinis, vaſtato, aut exciſo, domi quoq; non publico tantùm ærario, ſed priuatis etiam facultatibus per neceſſarias, per voluntarias contributiones exhauſto, non *fidele* tantùm eſt, quod *conſultas*, ſed quòd facis, fortè. Ignoſce, ſi in Cenſuram, neque neceſſitas tua tota, neq; laudatio tota intrare poteſt, quæ tamen tota omitti non poteſt. Quod vnicum deindè rebus integris columen, laborantibus ſubſidium, maritimæ verò Ciuitatis veluti anima erat, portum, inquam, & negociationem omnem domi, foriſque excludi paſſa es, & adiuuiſti, etiam cùm apud minora merita non clauderentur: quid niſi, vt fidem integram, totamq; Regi, Reique publicæ ſeruares? Si totum æſtimare velimus, pluſquam Gedanum tunc ſeruatum eſt. Et iam hoſtis, caſtra, Ciuitates, & quodammodo prouincias ad te vſque occupauerat: non reſpexiſti animos, aut fata aliena: obieciſti ſtatim, non ſolùm valla, foſſas, muros, ſed corpora: nec expectaſti, donec mercenaria manus, aut terram foderet, aut humum aggereret, vel lito-

vel litora, finesq; protegeret, & bellum aut similes bello conatus auerteret. Nec virtus aut se numerauit ad resistendum, antequam aliunde miles, & is quidem immanibus stipendijs quæsitus adueniret, aut elanguit, postquam aduenit. Par semper cura, industria, fortitudo, tolerantia, neque se vnquam dignitas recensuit, aut excusauit sexus, vt labor, onus, molestia ad vilia, aut ad fortia tantùm nomina damnaretur. Prior ligoni incumbere, solum findere, vallum portare Consul, Senator, & positis fascibus potestas omnis, interque viriles operas eniti puer, desudare fœmina, formosiùs rubere virgo, adeòque in communis auxilij festinationem omnis dextra currere, omnis ætas vigere. Quid te in plura virtutum, aut fortitudinis nomina partiar? vbi omnia charitas, obsequium, pietas in patriam complexa sunt, & iunxere. Quid deindè grauius, aut acerbius? nisi & hoc pro patria dulce fuisset, quàm quòd tu ipsa, hoc est, tui ciues, ipsi ad vigilias, ad excubias, ad stationes, ad operas & pericula, sanguinem denique, & (vt longiùs illos sequar) ad defensionem, non sui tantùm, sed proximi, sed longinqui litoris, sed aliorum castrorum, ciuitatumque aliquando exiuêre? Nuper quoq; cùm periculum domi timere potuisses, ad illud tamen alibi propulsandum, aut diuertendum, te diuidere voluisti, producto vsque ad Dirschauiam milite tuo, hostemque coegisti Meuæ non tantùm potiundæ, sed etiam oppugnandæ spem proijcere. Et iam antea, non semel eum à propugnaculi maritimi expugnatione, à litoris & pomærij, & vicinorum pratorum ac syluarum penè possessione, & in posterum voto omni deiecisti. Nam quòd eum ad *Anserum* Tabernam, magnâ ipsius clade in fugam & aquas depulisti, non mi-

Anseres Grebinenses.

ror eum ad Anserum fata compulsum, vt qui post excisas ferro alas, volitare non posset, sic iam nataret. I nunc inuerse Crusi, & *Anserum Grebinensium* ludibrium Ciuibus Gedanensibus (nam, nè tuos dicam, hic persuasisti) contumeliæ obtrude. Agnoscis tamen fortasse patriæ nomen, illa quoq; affectum à te repetebat, sed tam frustra, quàm Polonia tota, quæ saltem, vt solum conuicium abiens, ei relinqueres, non merebatur. Sunt tamen, qui meritò Patriam vbiq; colant, colendamq; existiment, quiq; laboranti citra ignominiam ferendum esse auxilium beneuolentissimo exemplo ostendêre. Nec proscriptis semper, vel exulibus eum affectum adimere iniuria potuit. Ab exilio & damnatione cucurrit Camillus, vt succurreret patriæ. Et Themistocles mortem hausit, nè hostis aut ingratus esse possit. Tametsi verò in quibusdam institutis, casibus, rebus gestis, aut gerendis, quasi claudicare videatur patria, non continuò tamen, tortipes, loripes,

---fracto genu, vel crure semipes,

aut si quid etiam plusquam claudum est, à quolibet semper ostendi, aut rideri potest. Placuit olim factum, & illa à malleo & fabrili opere pietas, Alcamenis, qui cùm Vulcanum Athenienſibus effingeret, sic pedis deformitatem superinductâ veste operuit, vt ea gradum retrahere videretur: atque ita non in aperto gressus vitio, claudicationem Dei expressit, rem nihilominus non omninò dissimulauit, texit tamen. Sed hæc pietas, aut quicquid illud est, num Patriæ debeatur, longinquum fortasse est percontari ab eo, qui patriâ excessit. Effossum alterum oculum Regum aliquis habebat: fuit, qui talem depingeret; & ipse toto lumine, vitâque ideò carere iussus. Ac

sus. Apelles obliquam faciem in picturâ ostendit, primam hanc artis, & industriæ laudem nobili inuento meritus. Eam enim rem, quæ intra penicilli vires, ad oculi alieni restitutionem, aut sanationem erat, in oculis hominum renouare, & extra naturæ aut vitij locum exponere, monoculo tyranno quasi exprobrare erat; procul certè extra prudentiam, neque intra securitatem, extra omnem profecto vtilitatem erat: quæ si abest, etiam magna facinora, vtilia non sunt. Multa in affecto corpore, præter morbum, aut morbi indicium, ad sanitatem necessaria sunt. Nihil habet, qui hoc solùm habet: & ad hoc ipsum, non

--- cuicunque datum est habere nasum.

Hic Panegyricus, licet totum quantusquantus est, excutias, quid tamen plus medicantis succi, vel efficacis auxilij habet, quàm

--- quæ veteres sanant mortaria cæcos?

nisi si hæc medicina est, vulnerum nudatio, & aliquid salis, vel saliuæ ex hoste, quando etiam hoc placet. Iam enim & inde ille nonnullis arridet

Et ridens iocus, & sales proterui.

Adeò tanquam res ad restim redacta esset, ab hoste salus peti iubetur, qui tamen, an postquam vulnerauerit, sanaturus sit, nec oraculis credunt duriores, vti nec simpliciores fabulis. Ferunt enim Delphicum Apollinem iussisse Telephum ab Achille vulneratum, ex inimicâ hastâ rubiginem, & sanitatem accipere. Nimis rubiginosa hæc consilia quibusdam videri possint, quæ velut omni ope domi consumtâ, virtutem hosti subhastari mandant. Fuit quidem, cum Pheræus Iason (vt certiore exemplo nugas, vel ludibrium adiuuem) ab hoste vulnus accepit,

quòd insanabilem vomicam aperuit. Sed ille vt periret, non vt sanaretur, in hostem & aciem Pharsalicam iuit, nec à morbo, sed à vitâ per molestiam, & dolorem agendam exolui voluit. Digna certè gladio sanitas, quæ plus desperationis, quàm puris habuit. Non credo quidem Panegyristam, sic omninò patriam, ad hostem mittere. Talem tamen intra totam ægritudinem & ignominiam ei nudauit. Sin patriæ hæc scripsit, cur soli non scripsit? Quid enim tàm elaboratâ peregrinæ linguæ operâ, vel subsidio opus erat? quasi hoc solum metuerit, nè non ab omnibus intelligeretur, præsertim ab exteris. Neq; enim huius magis Regni, quàm aliorum status & fortuna, suis æmulationibus, offensis, simultatibus alibi caret: nec vsquam gens aliqua est, cuius non peccata, adeoque rumores ipsi, gratissimo odio, aut voluptate, à vicinâ aut dispari gente leguntur, audiuntur, intelliguntur. Nam (vt aliquando simplex genus est hominum) ex verbis, & sententiâ scriptâ, sine fuco, & commentis, vitia pro vitijs, errata pro erratis, alteri de alteris plerumque interpretamur. Nunc quoq; quis dubitet, quo applausu hæc foris;

It noua, nec tristis per cuncta fabula scenas?

nisi & illic consilia & sanitatem procurauit auctor: quidni & honorem?

--- Felicia tempora, quæ te Moribus opponunt,--

si modò trans Albim, & Scaldin, trans Neccarum, & Baccarum, trans Tiberim, Ligerim, Illiberim, trans Rhenum, Mœnum amænum, & Oenum, trans Amesin, & Tamesin, trans Inferum, Superumq; mare, adde etiam trans Balthicum, tam benignos æstimatores Poloniæ inueneris, qui ad scripti tui aspectum salubria monita, & medi-

medicinam Patriæ ægritudinibus ac vulneribus adferant; mittantuè. Scilicet iam aliquis illinc nudatus membra Machaon, aut nondum fulminatus Æsculapius huc aderit, qui ---- *blandus matrumque patrumque*
Vulnera, qui viuos possit mulcere dolores,
Telorumque graues ictus sedare medendo.
Perge quidem, --- *medicasque manus, fomentaque quære*
vulneribus, sed summa: ---
Nam *summa* monstrasti, aut fecisti. Si ergo tanta sunt, ac tam grauiter valetudo publica laborat, cur eam extra curationis suæ spacia, veluti extra lectum effers? Agedum numera, metire, permetire hîc prouincias, populos, homines, qui Polonicè ægrotant, aut in tuo Panegyrico: censè deindè, percense, recense eos, qui tuam hanc legent in Latinâ linguâ medicinam (nam si aliud est, quàm medicinà, cur publicasti?) quantum terrarum, quantum mundi est, quod Polonia, & illud non est, quod à te producitur *indispositum* (vide quàm sunt Medica vocabula tua) *indigestum*, & ideò *ventosum*, *fulcibundum*, aut fulciendum, *torpens*, *iamque enerue*, *miserandum* denique, & iam ex *captiuitate*, vel aliundè *stultum*, quod tu magis medicè, phreneticum volebas dicere.

Omnia tunc morę ipsorum indispositа, temulenta. Calonum indigestam multitudinem. Ventosa natio. Velut animalia quædam amisso aculeo torpentia. Regni robur medullitus eneruasti. Nationem vestram reddideritis miserandam. O liberam captiuitatem. Quod alij stultitiam, vos libertatem dicitis.

Atq; hæc illa tua curandi sanandiq; ars, & modus est, quò omnibus mortalibus, amicis pariter & inimicis, ad quos Romanæ linguæ notitia vsu vel interpretatione venire potest, debilitates, vitiaq; patriæ vulgasti: & quid nisi, vt rideant, vel irrideant? Enimuerò quis aliùs eius rei illic finis? quis effectus? nisi si spondes, forsan balsama

aut si quid in Arabia, aut Iudæa nascitur, ad vulnera sananda potentiùs, missurum Turcam, Pontum, & Scythas Rhabarbarum, ac nescio quid Moschum, & illum, qui nunc intra membra, & viscera hîc

ferro grassatur, & igni.

Nam apud amicas, credo, nationes iam conduxisti, qui illinc educi solent, ad sanitatum, vel medicinarum calidissima ministeria, myrothecarios, apothecarios, balnearios, clibanarios, & illos cum fumo aut fimo stillatitio vitriarios, nisi hic tuus peior esset. Etiam ij, quibus medicina in fuco, aut lucro tota est, nunquam ita artem inscitiâ, aut malitiâ infecere, vt corpora grauiter affecta tectis aut tegumentis extrahant, vel peregrinæ auræ, aut tempestati obijciant. Cur sola itaq; patria hac iniuriâ, vel (ùt mollissimè dicam) contumeliâ, tibi digna visa est? Sic foris: domi quid? idem planè, aut paulò peius quàm foris. Nam dum terras,

---& mare cœlo Confundis,---

usquam ipse laborantibus rebus manum, aut tabulam porrigis, sed tanquam fluctus affundis, & offundis. Nihil enim nisi turbines, & tempestates, nisi pericula & naufragia, nisi tenebras & horrores, & veluti nouissimam malorum noctem in peiori orationis nocte adfers, nec vsquam facem profers, aut præfers. Vis tamen vt persuadeant sibi omnes, te consilia, & monita adferre? Respondeant, quos in solâ contumeliâ nominas, aut per calumniam & perfidiam tantùm producis; aut quos sic *euentilasti*, vt nihil fortitudinis, nihil prudentiæ reliqueris. Nam pro illis, vbi consilium vnum tam clarum, tam merum est, quàm sunt conuicia, aut vitia? Quòd si ita patriam admones, cur nemo sic patrem sic, matrem admonet?

monet? quibus tamen par, aut publicè sanctius, validiusque nomen est patria? Odêre, & fugiunt alij istos Cæsones, etiam si Cæsares vocari velint, qui cognomen & celebritatem non habent, nisi è matre cæsâ. Sed tu nudasti tantum vitia? Hoc quoque nimium est: nam quis postea texit? ne dicam, sanauit? Illud priùs tuum; hoc posteriùs, nullius adhuc fuit, aut non ad monitum, vel consilium tuum, vllius fuit. Pauci, aut nemo præter Neronem, & incæstum, matrem viuam, aut mortuam nudauit. Antea inter recens abluti seculi seuera primordia, cùm par inæquale fratrum, circa patris nuditatem, diuersis affectibus diuisum esset, is pietatis testimonio, obsequij laudem tulit, qui texit, licet neuter detexerit, aut nudârit. Maiora fateor, & grauiora hæc exempla sunt, quàm vt contra Panegyricum adduci deberent. Eadem tamen hîc nomina, paria certè, aut vix minora sunt, Patria, Rex, & Regnum, & sine quibus hæc esse nequeunt, leges, *Libertas*, *Senatus*, *Dux*, *Miles*. Neq; tamen vllum tam molle, aut lene exemplum producetur, quod Regem aut Patriam honore, & illa alia decore suo spoliari permittat, aut spoliantem commendet: Nec enim vnquam, nisi anceps esse potest verecunda nudantis facinus, vt alius, aut nullus tegat. Vulnerant quidem aliquando Chirurgi, sed vt medeantur statim. Inimicus, & hostis, aut grassator est, qui ferit, etiamsi non vt occidat, sed vt deserat, vel relinquat. Hic tua manus vulnere facto recessit, ùt solent magnæ manus, aut magni vngues. Quid verò nisi in vanum, nisi ad contumeliam est omnis admonitio, quâ solùm exprobres? Vtrum aliquid præterea præstiteris, in qua tandem Panegyrici parte inueniam? Nam si de Polonis in pace quæram, *seditiosos*,

ais: si

Tyrsam honestissimo lambio alienarunt.

ais: si in bello; *temulentos*: si in Tractatibus, *socordes*; Lithuanos autem *Cambiarios*: si in libertate, *captiuos*, aut *stultos*: Lithuanos etiam *stultiores*: si in Aula, *rebelles*: si in campis, *expulisti*. Neq; Senatui de sua integritate testari licet: vendidisti enim, aut *venales* produxisti: nec Regi etiam: quippè *victo*. Hæc sunt, quæ inuenimus; licet inueniri plura possint, cum non omnia hic memorauerim: quis enim omnia simul memorare, aut exequi possit? Licet Medicis (vtor enim libenter hac comparatione, quandoquidem scriptum tuum medicina est) licet inquam, Medicis, *cum aqua mulsa ægris pharmaca præbere*, sed pharmaca tamen: neq; ideò ægrorum valetudinem solido felle exacerbant, vel opprimunt. Intra huius doli salubritatem, vel moderationem stare, si non è Gustauiani Panegyrici, saltem Polonici scriptoris de Poloniâ, officio erat. Nunc comparationis tuæ immemor, *vinum* cum *Hispanis aquâ* non *diluis*, sed obruis: adeò plus atræ mentis, quàm atramenti scriptum habere videtur, temperamenti certè parum, nisi cùm pro Gustauo misces, aut temperas, aut cùm sic pro Polonis temperas, vt eos magnis illis & blandis elogijs, vsq; ad *Cælum* & *æternitatem* euehas, sic veluti dulcia miscens, vt deinde peiora & acriora, peiùs, acriùsq; admisceas. Non hoc morbos, &

Quem vincis, vel exequas.

Non ideò Hispani aquam bibũt, quia vinum aquâ diluunt.

Cæli defensores Æterna aliàs Polonorum arma.

---morsus arte leuare,

sed mordere, sed renouare, & exulcerare est. Pergis tamen, perstasq;, & alios omnes ad Anticyras, & elleborum mittis, aut dignos qui mittantur, medio, & aliquando toto vngue monstras; dignus ipse, si quis irasci posset,

---tribus Anticyris,

caput insanabile alijs omnibus qui assignas, & tamen omnia & omnes

---verbis

---verbis Herculis inuadis,---

sed furentis; in hoc tantùm

Seruata semper lege, & ratione loquendi,

nè aliter loquaris. Quid enim illo impetu, violentius? aut ludibrio & ignominiâ ferocius, quâ iubes *ire Polonos*: & quò, nisi ad peiorem ignominiam, ac ludibrium? Nimium licuit, cui sic licuit, idque in non tuâ arenâ. Neq; tamen nisi gallus in suo sterquilinio superbus, feroxque. Aliàs nec Annibali quidem in curiâ, & extra sua castra licet semper esse Annibalem, aut qualis Sagunthum dejiciebat, vel qualis Romanis è Consulibus, vnum mori, alterum fugere cóègit, vel Ite nunc Poloni.

---cum petit Vrbem A Cannis.---

Coactus enim & ipse est, veluti togato, & ciuili ore aliquando loqui, aut ponere vel excusare ferociam. Te verò quæ Cannæ, aut Trebia, aut maior lacus, quàm Thrasymenus, ad hos animos, ad hanc libertatem, vel libertatis necessitatem extulit; quâ iam *nihil* (pro magno ore, magnum verbum quæsiui) *confidentiloquius*? ne alia adiungam, quæ illic Póèta adiunxit, adiungere tamen alij possunt, qui ægro animo hæc à te accipiunt, quem in pace, nec inter Pompeios, Magnum, nec inter Catones Maiorem, nec inter Fabios Maximũ legunt: extra pacem verò, nec in Gruum bello fuisse, intellexerunt, aut vbi

---culices, magnas tubas habentes,

ranas, muresque ad pugnam animabant. Putabant enim magni meriti animum esse tam magna iubere: maioris, si perficere potuisses, aut si alij ad tua iussa paratum perficiendi obsequium, & potestatem adferre potuissent. Cum verò neutrum in spe vlla, nedum in viribus, gloriàq; scripti tui fuerit, cur tot hominum, rerumq; quiescentem ho-

norem, ad probra & dedecora tantùm excitas? aut casus, & calamitates publicas, priuatasq; , in difficillimâ curarum parte laborantes, ad dolorem & contemptum solùm renouas, aut honestos deniq; conatus non vltra facultates, & potentiam suam validas, vel integritatem & obsequium ad muneris sui functionem pro viribus nitentia, in inscitiæ tantùm, desidiæq; & aliquando perfidiæ indignitate, atq; contumeliâ monstratam voluisti? Magna quidē pars veritatis est magna confidentia: sed & innocētiæ, modestia. Verùm hæc quoq; non sola fidē sinceritatis explet, si adsit; adimit tamen, si absit. Est enim sæpè

Causa loquentis bona, mala sic loquentis,

si modum loquendi, non per libertatem solùm, aut intempestiuitatem, sed peiore interdum vitio, per acerbitatem excedas. Nam quò tandem res humanas redactas censebimus, si *Polonis* non liceat *ire*, nisi tu iusseris? aut non *ire* fortiter, non gloriosè, nisi quà tu pelles? Ingenti fiduciâ quondam Roma Scipionem nondum Africanum, ad bellum, belliq; calamitates è patriâ in Africam transferendas elegit, & tamen paulò pòst, tam magni consensus æstimatio, de voti sui magnitudine trepidauit, cùm in iuuenem, totius belli, atq; adeò Reipublicæ fortunam se coniecisse examinauit. Non tam magna in te omninò comparo. Sua cuiq; tamen patria tam magna, aut tam magni precij, & charitatis esse debet, quàm Roma Romano, cùm de salute, cùm de honore publico agitur. Tu Poloniam totam, & quicquid in ea magnum est, aut magnum esse deberet, à vitijs corrigendum, à calamitatibus eximendum, ab ignominia à & infelicitate restituendum, nullâ publicâ auctoritate, ac nè suffragio quidem

vno

vno, ſuſcepiſti. Vide, ùt præſtes: nam deformationem, ad ludibrium, denudationem ad infamiam, plus ſatis præſtitiſti. Prudesnè id feceris, qui fauent, negant, alij pernegant. Et ferunt aliqui (ùt iam monui) moleſtè, ac neſcio quid Spartanum, murmurant. Nam cum Spartæ ciuis quidam vera ac neceſſaria quidem, nec cum acerbitate vel iniuriâ coniuncta, in concionem attuliſſet, diſcuſſit orationem Anaxadridas, tanquam inutilem, & quòd manifeſtum eſſet, abſque omni fructu, effectuque peroraturum. Sic quoq; apud te, & nonnullos alios forſitan

---hæc lepida ſunt memoratu,

quæ multâ argutiâ, multo leporum & acuminum luſu, & facetiarum, ac ſalis acrimoniâ attuliſti. Sed ſi quorundam ſigillatim famam, dignitatemque interrogemus,

Eadem in vſu, atque vbi periculum facias, aculeata ſunt,
Animum fodicant, bona diſſimulant facta, & famam ſauciant.

Non tantùm eum, qui hoc ſolum aſſequi vult, ſed qui ſolum poteſt, publico prohiberi fas erat. Nam, non coram Xerxe tantùm, aut alio hoſte, ſed etiam Spartæ quædam Spartano loqui non licet. Tu verò, an Spartam aliquam nactus ſis, ſi ignoremus, ignoſce: quam verò inuaſiſti, non ornaſſe te, ſed dictorum licentiâ, atque acerbitate oneraſſe, etiam illi, qui non

---in occipitio habent oculos,

rectè ſe vidiſſe exiſtimant. Quod ſi verò aliquis, ab eloquentiæ tuæ, à Trinobantibus vſq; peregrinantis confidentiâ quærat, vnde hæc in dignitatum omnium exiſtimationē, factaq; auctoritas, non peccabit fortè in libertatem publicam. Cato ille quæſtorius, prætorius, Conſularis, non priùs Quint. Flaminium, non Metellum Senatu mouit, aut Scipioni equum ademit, quàm Cen-

ſuram, & illam de ciuium vitâ, moribuſque æſtimandi poteſtatem publicè accepiſſet. Vide, quàm magna in Catone iam nomina fuere, nondum tamen ad ignominiam, licet jure alijs inferendam, magna, aut valida. Sed tamen, vt te ad omnem libertatem, etiam non tuam, emittamus, quid tandem illud eſt, quod

Montibus ignotum patrijs, *populoque* Polono,

primus, aut ſolus in auram profers? Dicam clariùs: quid omninò ſcis, quod non ſcit Polonia, aut in Poloniâ Nobilitas, Proceres, Comitia, Rex, vt à te ſcirent? Non obſcurè enim omnes neſcire indicas, quæ non ſolùm oſtendere voluiſti omnibus, ſed licere per indignationem & exprobrationem oſtendere, in liberrimi ſcripti audaciâ demonſtraſti. Sin eadem omnes ſciebant, quid tam ſcito ſcripto, aut tuo, opus erat? Nam ſi quæram, quid tam mordaci, tam amarulento opus fuerit, quid reſpondebis? An iterum ad dubia & obſcura fortè, & illa latitantis effugij ludibria tortuoſa, & veluti contactum fugientia reuolueris, vt cùm violenter, cùm amarè, cùm ferociter aliquid proloqueris, id te beneuolè, blandè, candidèq; prolocutum credamus? Cum *Crete Cretizare Creti* non eſt difficile, nec Lycanthropis per lupum & hominem mutari: alijs non eadem ars, aut fucus. Pauſon ille non admodum frequentis picturæ monumentis celebritati monſtratus, equum ſpecie volutantis pingendum receperat: pinxit currentem. Auerſante factum eo, qui conduxerat: inuerte, inquit Pauſon, tabulam: ſimulq; iam non currens, ſed in totâ volutatione ſe exprimebat equus. Ita tu aliquando currentes, aliquando iacentes, iterum *bellicoſos*, *fortes Polonos*, mox *torpentes*, *rudes*; nunc per laudatiunculas, rurſum per ingentia vitia, ac dedecora de-

cora depingis, & ostendis: *Regem* nunc non *Regulum*, sed *umphatorem*, mox *victum*, monstras: hos suspectos, illos iam *de fidelitate consultantes*, alios *perfidos*, & vbi *fidelissimos* quosdam appellas, eos proditores, aut simile quid significas. & quasi in Pausoniâ tabulâ omnibus porrigis. Cur tabulæ tuæ constantem situm, aut scripto mentem, sensumq; non dedisti? Quo enim iure per inuersa, aut peruersa illa, æstimationis alienæ diligentiam ludificari, tibi fas putas? Sed nihil à te ampliùs quæram. Nam hac mutabilitate facilè omnia purgabis, aut effugies, tam herclè, quàm illud, quòd huc aliquem induxisti,

----*qui possit vincere* Regem

sine Regio (ignoscite fideles aures) dedecore, & ignominiâ: effugies inquam, non solùm illâ verborum & sensus pictâ, fictâq; inuersione, sed si dixeris, id te *Augustæ Trinobantum* scripsisse, vbi Reges iam nemo lædit, vbi nimirum in primori portâ, aut Turri Flumentana ad Tamesin, reorum læsæ Maiestatis capita transeuntes monent abstinere dictis, factisq; in Reges. Addunt plus alij, sed in re mihi non exploratâ, cognitàuè, te non malitiâ, aut dolo qualicunque hæc edidisse, sed illâ Germanâ & indilutâ simplicitate, quâ aiunt te olim nescio vbi, alienis scriptis tuum nomen apponi permisisse, idq; postea *Tabernariis* innotuisse, eamq; ob rem non semel ab ijs vapulasse.

Germanis Tabernarius Kruger dicitur; quo cognomine Mathematicus Gedanensis fertur contra Crusium aliquando scripsisse.

Ego nolo----Ambulare per tabernas,

& quid factum sit, curiosâ aure indagare.

Iamq; hîc finio censuram, aut quicquid illud tuum est: quis enim insensa censeat, quæ nusquam sensum certum, verumq;, aut syncerum habent? si quis tamen breuius

uius aliquid, & veluti per Satyram (nam aliter hæ res non constant) habere cupit, hæc habeto.

Quandoquidem Gustauum auctor laudare noluit, illaudatus esto. Quia tamen Gustauus multas ex laudibus scriptis tanquam suas, vnà cum alijs spolijs auexit, ideò scriptorem Repetundarum teneri.

Quem vincis vel exæquas.

Quæ in *Regem* dixit, quia non nisi ambigendo dixit, pro ambiguo homine habendum esse. Et quia non vltra vocem, & verba, facinus errauit, de facto non anquirendum: neq; enim calamo eius plus licuisse. Regum iniurias Regibus curæ fore, vti & Dijs Deorum, olim Tiberius acerbissimus aliàs iniuriarum vltor, humanissimæ moderationis superbiâ decreuit, cùm non plus ex vltione parentari patri vellet.

Senatores Poloniæ venales cognouisses.

Quòd Senatum, aut *Senatorum* aliquos, Prouincias Regni, seq; vendidisse, & adhuc vendere paratos, aut iam *venales*, prodidit, ni eos ad proximum mercatum, cùm venalia proponentur, nominatim prodiderit, produxerit, pænâ talionis teneri. Sin talio in tam inæqualem fortunam cadere non possit, pro tali tamen, non alio censendum.

Nouo Calepino, quod alij stultitiam, vos libertatem dicitis. O inanem virtutis vmbram, & liberam captiuitatem.

Quod *Libertatem* publicam, in qua ei viuere libero licebat, *in nouo Calepino*, *stultitiam* esse inuenit, in hac illi esse viuendum, nec antè, eximendum quàm *vmbras* impleat, quas *virtutis inanes* dixit: liberam tamen *captiuitatem* ei indulgendam, donec *libertas* tota libera fiat, quam Patriæ ademit.

Quæ de natione tota Polonâ in vniuersum, aut de singulis seorsim, in malignam vel sinistram partem dixit, quamuis dextrè dicta aliqui contendant, quia læuæ tamen interpretationis fato, tam ad dextram, quàm ad sinistram

niſtram, & in omnes partes obnoxia ſunt, nec aliter extra Poloniam, & dubitationem vllus ea interpretari poterit, aut volet, ideò apud verborum & Iuris peritos Scæuolas tamdiu aris, focisq; ijſdem, quibus ipſi per virtutem & conſtantiam Scæuæ aut ſiniſtri facti ſunt, expianda eſſe, donec nihil ambiguum, nihil malignum, atque adeò nil de fuco & fumo ſuperſit.